



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 3. Utrùm divinæ prædestinationis dertur ratio aliqua ex parte nostri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

nia individua, ex quibus constabit, distinctè à Deo cognosci; sive nihil aliud est, quam numerum illum, non abstractè & confusè, sed in omnibus individuis, ex quibus tanquam partibus constabit, distinctè cognosci. Atqui numerus ille sic à Deo cognoscitur: cum omnes ejus partes, seu omnia individua, ex quibus constare debet, distinctè fuerint à Deo ab æterno & pro æterno immutabiliter prædeterminata: Deus enim omnes, quotquot sunt aut erunt de numero prædestinatorum, non confusè, sed distinctè & in particulari ab æterno & pro æterno prædestinavit, & immutabiliter prædestinavit.

Quæres, quantus sit numerus prædestinatorum? R. de solis hominibus cum S. Thoma hic q. 23. a. 7. in Q. De numero omnium prædestinatorum hominum quis sit, dicunt quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus. Dici etiam potest cum Augustino lib. 22. de Civ. c. 1. Tantum populum per gratiam suam colligit (Deus) ut inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est Angelorum, ac sic illa dilecta & superna civitas non frustretur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberius letetur.

ARTICULUS III.

Utrum divina Prædestinationis detur ratio aliqua ex parte nostræ.

NOta. Prædestinationis divinæ dari rationem ex parte Dei certum est; Deus enim alios prædestinavit, alios verò negativè reprobavit, ad ostendendam misericordiam & justitiam suam. Item prædestinationis divinæ dari rationem ex parte Christi, indubitarum est, ex Apostolo, docente, Ephes. c. 1. nos electos esse in Christo, hoc est, propter merita Christi absolutè prævisa, & nos esse prædestinatos in Christum, hoc est, in gloriam Christi. Unde secundum Apostolum prædestinationis nostræ causa meritoria sunt Christi merita; finalis verò gloria ipsius. Imò dari ex parte Dei rationem, cur hi prædestinentur, & illi negativè reprobenentur, docet S. Augustinus lib. 1. ad Simp. q. 2. ubi de Deo dicit: *Eorum non misereatur, quibus gratiam non esse præbendam, equitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima judicat.* Hæc autem ratio, quæ, quandiu hanc mortalem vitam vivimus, nos lætet, patebit nobis, cum facie ad faciem videbimus eum, qui omnia in sapientia scit. Merito igitur hic quærimus tantum, utrum prædestinationis divinæ detur ex parte prædestinati aliqua ratio, hoc est, utrum Deus homines, quos prædestinavit ad vitam æternam, prædestinavit ex mero beneplacito, an ex prævisione alicujus boni operis, aut boni usus liberi arbitrii, sive tanquam meriti de condigno, sive tanquam meriti de congruo, sive tanquam meriti conditionis sine qua non. Ad hanc autem quæstionem respondemus, prædestinationis divinæ nullam planè rationem assignari posse ex parte prædestinatorum. Hanc assertionem, quam esse de fide contendimus, sequentibus Paragraphis ostendemus.

S. I.

Prædestinationis divinæ nullam dari rationem ex parte prædestinati, probatur ex Scriptura.

1. Apostolus Ephes. c. 1. sic loquitur: *Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Non dicit Apostolus, *Elegit nos in nobis, seu propter merita nostra;* sed in ipso, seu propter merita Christi. Non dicit, *Elegit nos, quia eramus, aut futuri eramus sancti;* sed ut essemus sancti, non solum habitualiter per gratiam sanctificantem, sed etiam sanctitate actuali per bonum liberi arbitrii, gratia adjuti, utrum. Pergit Apostolus: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum*

Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue in laudem gloriæ gratia sue, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo... in quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Decente igitur Apostolo Deus prædestinavit nos per merita Christi, ad procurandam ejus gloriam, prædestinavit, inquam, non propter bonum aliquem nostri arbitrii usum prævisum, sed secundum propositum voluntatis sue; hoc est, ex mero suo beneplacito ad commendandam gratiam suam, hoc est, gratuitam suam erga nos benevolentiam, in qua nos gratificavit in dilecto filio suo, hoc est, qua nos gratuito profectus est propter dilectum filium suum, in quo nos sorte vocati sumus, hoc est, propter quem nos planè sortiti sumus, quantum est ex parte nostra, vocati sumus ea vocatione, quæ electorum propria est; & vocati sumus, quia prædestinati eramus, non propter merita nostra, sed ex mero beneplacito illius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue, & nullis nostris bonis meritis provocatus præparavit nobis auxilia congrua, ut simus in laudem gloriæ ejus, hoc est, ut propter tantum, & tam gratuitum beneficium, ejus potentia, sapientia & bonitas extollantur ab hominibus & Angelis.

2. Idem Apostolus Rom. c. 9. ex hominibus alios prædestinatos, alios verò negativè reprobatos esse ante absolutam prævisionem cujuscumque meriti vel demeriti personalis, probat exemplo Jacob & Esau. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia major serviet minori: sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Tum in hac agendi ratione nihil iniquitatis esse, ostendit ex eo, quod Deus totum genus humanum in Adamo vitiatum potuerit absque ullius injuria rejicere, & in perditione derelinquere, nullusque proinde ab hac massa, per Adami peccatum corrupta, per prædestinationem liberari, nisi ex pura misericordia potuerit. Unde cum Deo liberrimum sit, ex pluribus in eadem damnatione versantibus, quorum vult misereri, & quorum non vult non misereri, ipsi liberrimum est ex hominibus aliorum misereri, eos prædestinando, aliorum non misereri, eos negativè reprobando, absque eo quod idcirco ullam injustitiæ notam possit incurrere. *Quid ergo dicemus?* inquit Apostolus. *Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moyses enim dicit: Miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor.* Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Ergo cujus vult miserebor, & quem vult indurat... Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: *Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliā?* Vides Apostolum totum negotium prædestinationis & negativæ reprobationis hominum manifestè attribuentem soli beneplacito Dei, pro suo jure, quorum vult, miserentis, & quorum non vult, non miserentis; & ita pro suo jure aliquos, quia vult, liberantis; reliquos, quia non vult, non liberantis.

3. Idem Apostolus, postquam retulit hæc Dei ad Eliam verba: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal,* sic prosequitur: *Sic ergo & in hoc tempore reliquia secundum electionem gratia salva factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Sicut tempore Eliæ, inquit Apostolus, pauci illi Israelitæ, qui non curvaverunt genua ante Baal, fideles permanserunt, non quia relictæ fuerunt Deo, sed quia Deus ipse eos sibi reliquit, hoc est, quia Deus eos gratuito elegerat, eosque secundum suam illam gratiam electionem vocaverat, quomodo illis aptum erat, ut fideles essent, & in fidelitate perseverarent: ita nunc pauci Judæi, qui credentes in Christum salvantur, salvantur secundum electionem gratiæ, hoc est, quia gratuito electi sunt, cæteris negativè rejectis, & ideo in voluntaria obsecratione derelictis; proindeque salvantur secundum electionem factam independentem ab omni

ope-

opere bono, seu ab omni bono arbitrii usu absolute prævisio: alioquin hæc electio simul esset & non esset electio gratiæ, simul esset gratuita & non gratuita. Unde sic subsumo. Per hanc electionem gratuitam, pro qua manifestè pugnat Apostolus, ad minimum intelligi debet gratuita præparatio mediorum efficacium, & cum salute connexorum; gratuitum propositum dirigendi in salutem per media efficacia, & cum salute connexa. Ergo per hanc electionem gratuitam, pro qua manifestè pugnat Apostolus, intelligi debet ad minimum gratuita prædestinatio, ad quam qui inter Judæos tempore Pauli pertinebant, per fidem Christi salvi facti sunt; qui non pertinebant, in cæcitate sua perierunt; ad quam similiter qui nunc ex hominibus pertinent, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverantes, salvantur; qui verò non pertinent, ob malam suam voluntatem damnantur.

4. Denique, idem Apostolus ad Timoth. cap. 1. loquens de prædestinatis, sic ait: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.* Ubi notandum est Apostolum, 1. loqui non de quocumque vocatione; nam etiam reprobi vocantur, & tamen non liberantur; sed de vocatione illa, quæ est secundum propositum, hoc est, de vocatione, qua qui vocantur, justificantur, & justificati glorificantur, juxta illud ejusdem Apostoli Rom. c. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sancti.* Nam... quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Loquitur ergo Apostolus de vocatione illa, vel potius de collectione vocationum illarum, quibus electi ita vocantur, quomodo illis congruit, ut credendo, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverando, liberentur. 2. Nomine gratiæ hic non intelligere donum aliquod creatum, collatum in tempore; sed gratuitum affectum, gratuitam benevolentiam, vi cuius, intuitu meritorum Christi absolute prævisorum, efficaciter statuit liberare, quos re ipsa liberat, vocando scilicet illos, quomodo illis aptum est ut credant, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverent. Ex his autem argumentor sic. 1. Prædestinatio est propositum liberandi, propositum vocandi vocatione illa sancta, quæ cum perseverantia finali connexa est; propositum conferendi in tempore beneficia illa, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Atqui propositum illud, ex Apostolo, est purè gratuitum, & planè independens à prævisione cujuscunque operis boni: est enim grãtia illa, vel saltem effectus illius gratiæ, quæ electis data est in Christo Jesu ante tempora secularia; hoc est, specialis illa benevolentia, vel saltem effectus specialis illius benevolentia, qua Deus, eos qui salvantur, ab æterno persecutus est, non propter aliqua eorum merita futura, sed purè propter merita Christi absolute prævisa, ad ostendendam bonitatem suam, & gloriam ipsius Christi procurandam. Ergo ex Apostolo, prædestinatio est purè gratuita, utpotè saltem effectus specialis illius benevolentia, &c.

Obj. 1. Apostolus Rom. c. 8. dicit: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Ergo ex Apostolo prædestinatio divina supponit præscientiam divinam, bonorum scilicet operum, quibus conformes simus Christo. R. neg. conseq. Nam sic loquitur Apostolus, vel quia prædestinatio est præscientia per divinam propositum certis hominibus, ut causa directiva salutis eorum, applicata, quæ certa & infallibilis notitia est horum specie & numero mediorum, quibuscumque, si illa accipiant, ad finem vitæ æternæ certò & infallibiliter perventuri sint; & tunc verborum Apostoli sensus est, quos prædestinavit, non ad quilibet, sed ad specialem quandam cum Christo conformitatem prædestinavit: vel quia nomine præscientia intelligit scientiam approbationis, hoc est, scientiam certorum hominum, ut aliquando exiturorum, conjunctam cum speciali erga illos affectu, vi cuius illos præ cæteris elegit, illique in mente sua ab æterno disposuit, & præpa-

ravit media efficacia, quibus illos in tempore dirigit ad salutem æternam certò & infallibiliter; & tunc verborum Apostoli sensus est, quos prædilexit, quos elegit, quos voluit, gratuito scilicet & misericorditer, hos & prædestinavit, &c. Porro hoc duplici modo interpretari possumus eundem Apostolum, cum ead. epist. c. 11. ait: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Hoc est igitur, Deus in tempore congruè vocavit Israelitas, quos prædestinavit, vel quos specialiter dilexit, & elegit in æternitate; quæ duæ interpretationes in unam coeunt: quos enim Deus specialiter dilexit & elegit in æternitate, eos in æternitate prædestinavit. Unde S. August. lib. de bono persever. c. 18. in hæc verba, *Non repulit Deus, &c.* sic habet: *Hoc, quod ait, præscivit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit, quod circumstantia ipsius locutionis offendit: loquebatur enim de reliquiis Judæorum, quæ salvæ factæ sunt, pereuntibus cæcitis.*

Obj. 2. Apostolus 2. ad Timoth. c. 2. sic loquitur: *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Ergo ab unoquoque nostrum pendet, ut fiat vas in honorem, vel non fiat, & ita ab unoquoque nostrum pendet, ut sit vel non sit de numero prædestinatorum. Ergo prædestinatio est in nostra potestate, proindeque supponit bonum liberi arbitrii ulum in præscientia. Ergo prædestinatio non est gratuita. Ad solutionem,

Nota. Apostolus hic contra Himenæum & Philetum hæreticos loquens, dicit, 1. ab illis quorundam fidem esse subversam. 2. Timendum non esse ne fideles omnes pervertant, quia *firmum fundamentum Dei stat*, in electis scilicet fidelibus, qui proinde certò & infallibiliter in fide, sicut & in vera pietate, perseveraturi sunt. 3. Hujus firmi fundamenti bina esse signacula, unum ex parte Dei, divinam scilicet prædestinationem, vel librum vitæ, hoc est, notitiam, qua Deus firmiter retinet, quos ad fidem, & in fide perseverantiam prædestinavit; alterum ex parte nostra, nempe fugam iniquitatis: qui enim iniquitatem constanter fugit, & morum innocentiam constanter sectatur, nunquam in hæresim incidit. *Firmum fundamentum Dei stat*, inquit Apostolus, *habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus, & discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini.* 4. Mirum videri non debere, si nonnulli, suadentibus Himenæo & Philetro, à fide defecerint, quia sicut in magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, quæ frangi non possunt, & ad honestos usus destinantur, sed etiam lignea & fictilia, quæ possunt frangi, & destinantur ad usus inglorios; ita in Ecclesia quæ est domus Dei, inter fideles alii fide cæteriisque virtutibus nobiles, in proposito firmi & constantes, ab hæreticis seduci non possunt; alii verò in fide & charitate fragiles & infirmi, possunt seduci, & seducuntur à novatoribus. Omnes quidem sunt veluti vasa Dei, quia omnes usibus ejus inserviunt; sed primi vasa misericordiæ, quippe quæ Deus misericorditer præparavit in gloriam; secundi verò vasa iræ, quibus debitam peccatis eorum præparavit pœnam: primi vasa in honorem, quia in fide & charitate perseverantes assumuntur ad usum honorificum, utpotè honorem gloriæ consecuturi; secundi vasa in contumeliam, utpotè suppliciis æternis addicendi. 5. Denique, eos omnes, qui prophanas hæreticorum novitates devitarint, & ab eorum vitiis se puros præstiterint, idque perseveranter fecerint, fore vasa in honorem, & cælestis gloriæ coronam consecuturos, sicque in cælesti patria ad usus honorificos assumendos esse. Quod verissimum est. Sed quid inde contra gratuitam prædestinationem? Sed

Nota iterum. Electus quilibet fit vas in honorem duobus modis: nam 1. Fit vas in honorem per prædestinationem in æternitate. 2. Fit vas in honorem per executionem prædestinationis in tempore. Primo modo fit vas in honorem, quatenus Deus in æternitate sua præparat illi media, cum ejus salute certò & infallibiliter connexa. Fit vas in honorem secundo modo, quatenus Deus media illa, ab æterno præparata, exequitur in tem-

tempore, & ipse Deo media illa exequenti cooperatur, bonum faciendo, & malum vitando: ita ut in statu gratiae, Deo procurante, moriens, salutem aeternam re ipsa consequatur, & quidem velut mercedem bonorum operum, quae, Deo ipsum praevienienti & adjuvanti per auxilium gratiae suae liberè cooperans, exercuit. Unde hoc secundo modo non fit, nec est vas in honorem, nisi dependenter à libera arbitrii sui cooperatione; & ita in ejus potestate situm est, ut fiat vel non fiat, ut sit vel non sit vas in honorem hoc secundo modo; sic tamen ut summa certitudine & infallibilitate futurus sit propter summam praedestinationis certitudinem & infallibilitatem. Hoc autem nullatenus praedicitur gratitae praedestinationi. Nam electus fit & est vas in honorem primo modo independentem ab omni libera arbitrii sui cooperatione absolutè praevisa, & ita in electi potestate situm non est, ut fiat vel non fiat, ut sit vel non sit vas in honorem hoc primo modo, sed pender à mero beneplacito Dei, qui, quibus vult, misericorditer preparat media cum eorum salute connexa, quibus non vult, iustissimè non preparat, ut manifestè docet Apostolus locis à nobis laudatis, & aliis similibus. Loco igitur in objectione laudato loquitur Apostolus de secundo modo, quo quis fit vas in honorem, non de primo, & consequenter non de modo, quo quis fit vas in honorem in praedestinatione, sed de modo, quo quis fit vas in honorem in executione praedestinationis. Secundum Apostolum, executio praedestinationis includit liberam arbitrii nostri cooperationem, & ita est aliquo modo in potestate nostra; praedestinatio verò antecedit omnem liberam arbitrii nostri cooperationem etiam futuram, & ita est in solius Dei potestate. Ratio pro utroque est ex eodem Apostolo; quia Deus non aliud ex parte nostra praesciens absolutè, quàm originale peccatum, quos misericorditer vult, in aeternitate sua efficaciter proponit per talia media in salutem aeternam transmittere in tempore, non per se solum, sed per se, & illos auxiliis gratiae liberè cooperantes, & in fide, quae per dilectionem operatur, liberè perseverantes usque in finem ipsis misericorditer constitutum. Ex his, R. ad obf. 1. conf. verum esse, si loquitur de secundo modo, quo electus fit vas in honorem; falsum verò, si loquitur de primo, Unde neg. alias omnes consequentias,

§. II.

Praedestinationis divinae nullam dari rationem ex parte praedestinati, probatur ex S. Augustino.

Lib. de praed. Sanct. in quo totus est in probanda gratuitate praedestinationis, hanc gratuitatem probat ex his Apostoli verbis, *Quod querebat Israel, hoc non est consecutus, &c.* c. 6. ubi sic loquitur: *Cum aliis prepararetur, aliis non prepararetur voluntas à Domino, discernendum est utique quid veniat de misericordia ejus, quid de iudicio. Quod querebat Israel, ait Apostolus Rom. 11. hoc non est consecutus, electio autem consecuta est: ceteri verò excacati sunt...* Ecce misericordia & iudicium: misericordia in electione, quae consecuta est iustitiam Dei: iudicium verò in ceteros, qui excacati sunt... Electio quippe ista gratia est, non utique meritum. Superius enim dixerat: Sic ergo & in hoc tempore reliquiae per electionem gratiae saluae factae sunt... Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio: non praecessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim salvos fecit eos. Ceteris autem, qui excacati sunt, in retributione factum est. Universe via Domini misericordia & veritas. Investigabiles sunt autem via ejus. Investigabiles igitur sunt & misericordia, quae gratis liberat, & veritas, quae iuste iudicat.

Igitur ex S. Doctore, quod aliquibus prepararetur voluntas à Domino, venit de misericordia ejus, hoc est, quod aliqui ad fidem congruè vocentur, & quidem ea vocatione, quae cum eorum salute connexa est, & est electorum propria, soli divinae misericordiae attribuentium est: ut enim sic vocarentur, non praecessit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis. Sed gratis & pro nihilo sic vocantur in tempore, quia Deus eos sic vocare in tempore, gratis & pro nihilo proposuit

in aeternitate. Quod probat exemplo paucorum illorum Israelitarum, qui Christi fidem amplexi erant tempore Apostoli, & quos sciebat Apostolus, aut saltem piè supponebat esse de numero salvandorum: crediderunt enim ea fide, quae per charitatem operatura erat usque in finem, quia vocati fuerunt, quomodo illis congruebat, & sic vocati fuerunt in tempore, quia ut sic vocarentur, praeter ceteris, qui credere noluerunt, electi fuerant in aeternitate, & quidem electione, quae gratiae fuit, non meritum, ut manifestè evincitur ex verbis Apostoli.

2. Eandem praedestinationis gratuitatem ex Apostolo Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, &c.* probat S. Doctore c. 18. ubi verbis Apostoli accuratissime ponderatis, sic concludit: *Cernitis, proculdubio cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquii defendatur haec gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, ut retribuat ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, praedestinans nos in adoptionem filiorum, non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit, praedestinavitque ut essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suae, ut nemo de sua, sed de illius erga se voluntate gloriaretur: fecit hoc secundum divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in dilecto Filio suo, in quo sortem consecuti sumus, praedestinati secundum propositum non nostrum, sed ejus, qui universa operatur, usque adeo ut ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae ejus. Hinc est autem quod clamamus, ut nemo gloriatur in homine, ac per hoc nec in se ipso: sed qui gloriatur, in Domino gloriatur, ut simus in laudem gloriae ejus. Ipse quippe operatur secundum propositum suum, ut simus in laudem gloriae ejus, utique sancti & immaculati, propter quod nos vocavit, praedestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei.*

Igitur ex S. Doctore, eos, qui re ipsa salvantur, Deus elegit in Christo ante mundi constitutionem, praedestinans eos in adoptionem filiorum, non quia futuri erant, sed ut essent sancti & immaculati in conspectu ejus: elegit & praedestinavit eos secundum placitum voluntatis suae, secundum divitias gratiae suae, secundum bonam voluntatem suam, quae, propter Christum, proposuit eos in vitam aeternam per media efficacia certè & infallibiliter dirigere, propter propositum, non eorum, sed suum, quo gratis & misericorditer preparavit eis ab aeterno media cum eorum salute certè & infallibiliter connexa, & vi cuius, qui fuerunt gratis electi & praedestinati in aeternitate, gratis vocantur in tempore ea prima vocatione, quae idcirco ab Apostolo dicitur vocatio secundum propositum, quaeque electorum propria est, utpote non modò congrua, sed etiam cum vocatorum salute certè & infallibiliter connexa, quia data est ex absoluta & efficaci voluntate vocatos ad gloriam per media efficacia transmittendi, & haec voluntas nec mutari potest: unde sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei; nec potest frustrari: unde diligenter Deum vi illius primae vocationis omnia cooperantur in bonum. Contra hanc itaque eorum omnium, quotquot sunt qui salvantur, gratuitam electionem & praedestinationem aeternam, & temporaneam, quae effectus ejus est, vocationem, immeritò merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, ut retribuat ei. Hinc est, quod cum Apostolo clamamus, ut nemo gloriatur in homine, ac per hoc nec in se ipso: sed qui gloriatur, in Domino gloriatur, qui, quos voluit, gratis & misericorditer praedestinavit, & quos sic praedestinavit in aeternitate, gratis vocavit in tempore, quomodo illis congruebat, ut vocati justificarentur, & iustificati glorificarentur.

3. Gratuitam esse praedestinationem cap. 12. probat exemplo parvulorum ante adultam aetatem cum baptismo morientium. Ubi venit ad parvulos... omnis deficit praecedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi ullis bonis praecedentibus meritis discer-

discernuntur à cæteris, ut pertineant ad liberatorem hominum... Quis enim audiat (quod tamen respondebant Massilienses) quod dicuntur parvuli pro suis futuris (hoc est futurilibus) meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita? Idem cap. 15. probat exemplo humanitatis Christi, quæ nullis suis præcedentibus meritis ad unionem hypostaticam assumpta est. Est etiam, inquit, præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur, queso, ille homo, ut à verbo Patri coæterno in unitatem persone assumptus, filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit? quod ejus bonum quaecumque præcessit? quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? ... Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus. Idem toto ferme libro probat, ostendendo fidem etiam inchoatam esse donum Dei, non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humane, sed quia in electis præparatur voluntas à Domino, ut ait S. Doctor c. 3. præparatur, inquam, per internam vocationem, qua electi, nullis suis præcedentibus meritis, ad fidem vocantur, quomodo illis congruit, ut velint credere, & credant. Quisquis igitur, inquit S. Doctor c. 2. hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam, nempe gratiam secundum merita nostra dari, veraciter intelligat dictum quod Apostolus ait: Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo. Utrumque enim ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait, Ut plenius & perfectius credatis in eum; sed, Ut credatis in eum. Nec se ipsum misericordiam consecutum dixit, ut fidelior, sed ut fidelis esset: quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo ejus augmentum; sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est. Quod argumentum à fide sumptum convincit: cum enim fides sit fundamentum & radix justificationis, proindeque salutis, salutem plane gratuitam esse in sua radice necesse est, si fides donum Dei est, & consequenter auxilia ad credendum necessaria gratuitò donata sunt. Unde manifestè sequitur, nihil ex parte prædestinati ex solis arbitrii viribus profectum assignari posse, cujus præscientia Deus motus fuerit ad præparanda electo auxilia, quibus salutem suam inchoaturus est credendo, & per fidem ulteriora impetrando, consummaturus.

4. Hanc prædestinationis gratuitatem alibi defendit, ut lib. de bono persev. c. 8. ubi gratuitam electorum à reprobis discretionem propugnat, ad quam discretionem qui pertinent, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, perseverant; qui verò non pertinent, non perseverant. Et c. 7. ubi ait, fidem & perseverantiam usque in finem donari à Deo iis, quos elegit ut essent sancti & immaculati, & prædestinavit in adoptionem filiorum secundum placitum voluntatis suæ. Et lib. de corr. & grat. c. 7. ubi hæc habet: Quicumque ab illa originali damnatione ista divina gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur iis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant... Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi, per electionem gratiæ... Non enim sic sunt vocati, ut non essent electi: ... sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentibus meritorum suorum (in præscientia) quia gratia illis est omne meritum (hoc est, principium omnis meriti.) De talibus dicit Apostolus: Scimus quam diligenter Deus omnia cooperatur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt... propositum autem non suum, sed Dei. Et lib. 2. contra duas epist. Pelag. c. 7. ubi homini Pelagiano de semetipso & de suo proprio bono glorianti, atque se à vasis iræ & massæ perditionis per fidem suam, per propositum suum, per

suum meritum discerni jactanti, opponit verba Apostoli: Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ex quibus sic concludit: Ergo ille discernit (in æternitate) qui unde discernaris (in tempore) impertit penam debitam removendo, indebitam gratiam largiendo... ille discernit, qui de nondum natis, neque qui aliquid egerant boni aut mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, non ex operibus, sed ex ipso vocante dicit: Major serviet minori... Electione quippe dixit, ubi Deus non ab alio factum, quod eligat, invenit, sed quod inveniat, ipse facit. Hac porro de gratuita prædestinatione Augustini doctrina graviter offensi sunt Massilienses Presbyteri, ut refert Prosper in sua ad Augustin. epistola. Hæc ipsorum, inquit, definitio ac confessio est, hoc propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, &c. quæ Massiliensium querimoniarum S. Doctori occasio fuerunt libros de præd. sanct. & bono persev. scribendi, quibus gratuita prædestinationis dogma luculenter probat, & adversariorum errores ac querelas comprimit.

Obj. 1. S. Augustinus serm. 7. de verbis Domini in hæc verba, Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal, citata ab Apostolo Rom. 11. hæc habet: Quid est, Reliqui mihi: ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me presumptas, non de se, nec de Baal. Resp. S. Augustinus hunc textum interpretatur de electione remuneratoria, & in ordine executionis, quæ interpretatio violenta est, & contra mentem Apostoli, quod agnovit S. Doctor lib. de bono persev. c. 18. ubi ait textum illum ab Apostolo citatum esse, ut ostenderet Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum; & ad hoc ostendendum rectè citatum esse, quia Deus loco illo, non ait, Relicta sunt mihi: aut, Reliquerunt se mihi: sed, Reliqui mihi: quo modo loquendi aperte significatur, septem illa millia virorum gratuita electione servata esse. Illud igitur, Reliqui mihi, de gratuita electione intelligendum esse agnovit S. Augustinus. Hæc autem gratuita electio est saltem gratuita prædestinatio.

Dices. S. Augustinus lib. 83. qq. q. 68. ita loquitur: Cujus vult, miseretur, & quem vult, obdurat: sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis. Ergo ex S. Doctore prædestinatio supponit aliqua bona merita; sicut negativa reprobatio supponit aliqua mala merita. R. S. Doctorem hic non loqui de mediis efficacibus & cum salute connexis, quæ aliis præparantur, qui idcirco electi dicuntur; aliis verò non præparantur, qui idcirco dicuntur reprobi, seu reprobati; sed de justificatione & obduratione peccatorum, quæ causas habent ex parte ipsorum peccatorum, quamvis occultissimas: sic enim profectus S. Doctor: Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo digni efficiantur justificatione; & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obduratione. Præterea, perperam hanc verborum Apostoli interpretationem à S. August. factam questione citata, nobis obijciunt adversarii: cum S. Augustinus, senior & doctior factus, verba illa in libris suis contra Pelagianos & Semipelagianos editis, de gratuita prædestinatione constanter interpretetur.

Dices. S. Augustinus serm. 233. de tempore sic ait: Multi scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non: hunc dignum habet, & illum indignum... Audi homo, hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis. Resp. hunc locum non favere adversariis, sed obesse: nam duabus prioribus questionibus, quæ ad ordinem intentionis, & prædestinationis mysterium pertinent, silentio prætermittis, ad solam tertiam, quæ pertinet ad ordinem executionis, respondet, Deum hos habere dignos gloria propter bona opera sua, illos verò habere indignos propter mala sua opera. Nimirum tunc Augustinus concionans dicebat ad populum id, quod audientes ad bonorum operum exercitium excitare poterat, & prudenter reticebat id, quod poterat terrere, præ-

praesertim cum tunc non essent gratuita praedestinationis adversarii, quos refutari necesse esset. Sed audiamus S. Doctorem ad duas priores quaestiones respondentem, cum Pelagianis & Semipelagianis gratuitam praedestinationem impugnantibus, respondendi necessitas urgeret: *Cur istum potius, inquit lib. de praed. sanct. c. 9. quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & investigabiles viae eius. Et lib. de bono persev. c. 11. Investigabilis est misericordia, qua, cuius vult, miseretur, nullis eius praecedentibus meritis: & investigabilis veritas, qua, quem vult, obdurat, eius quidem praecedentibus meritis, sed cum eo, cuius miseretur, plerumque communibus.... Cur illis potius quam illis detur (gratia) quis cognoscit sensum Domini? quis inscrutabilia scrutari valeat? quis investigabilia vestigare? Et cap. sequenti: Hominibus dat (gratiam) quibus vult, quoniam misericors est; quod & si non det, iustus est: & non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriae suae in vasa misericordiae. Dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur, ostendit.*

Obj. 2. Saltem haec de gratuita praedestinatione doctrina repugnat Patribus omnibus Augustino antiquioribus, ut testatur Prosper in sua ad Augustinum epistola. Retractatis, inquit, priorum de hac re opinionibus, penes omnium par invenitur & una sententia, qua propositum & praedestinationem Dei secundum praescientiam receperunt: ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumelia fecerit, quia finem uniuscuiusque praeviderit, & sub ipso gratia adiutorio in qua futurus esset voluntate & actione praescierit. Quod confirmatur aliquorum Patrum, qui ante Augustinum scripserunt, inductione. Nam S. Irenaeus lib. 4. contra haer. c. 48. sic ait: Quotquot sunt non credituri, Deus, cum sit omnium praecognitor, tradidit eos insideliis eorum, & avertit faciem ab huiusmodi, relinquens eos in tenebris quas sibi elegerunt. S. Chrysostom. hom. 31. in Matth. dicit illum à Christo vocatum fuisse, quando Christus vidit illum vocationi consenturum esse; & in Commentario ad cap. 9. epist. ad Rom. de eodem Matthaeo loquens, ait: Qui arcana novit, quique cogitationis aptitudinem probare potest, is & in caeno margaritam jacentem novit; omisissimae aliis, admiratus huius pulchritudinem, illum elegit, voluntatisque nobilitati suam cum adiunxisset gratiam, probatum illum esse pronuntiavit. S. Ambrosius lib. 5. de fide c. 3. haec habet: Deus personarum acceptor non est. Unde & Apostolus ait: Quos praescivit, hos & praedestinavit, quia non ante praedestinavit, quam praesciret, sed quorum merita praescivit, eorum premia praedestinavit. Denique S. Hieronymus lib. 1. in epist. ad Gal. in haec verba, Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero, &c. sic loquitur: Ex praescientia evenit, ut quem scis justum futurum, prius diligat, quam oriatur ex utero. Ergo doctrina S. Augustini de gratuita praedestinatione repugnabat communi Ecclesiasticorum Scriptorum sensui, & consequenter communi Ecclesiae sensui, & Traditioni, Ergo vel eatenus erraverat Ecclesia circa praedestinationem, vel ipse Augustinus errabat. Primum dici non potest. Ergo, &c.

R. 1. Patres illos, qui ante S. Augustinum scripserunt, cum nondum exorta esset Pelagiana haeresis, nunquam in hac praedestinationis materia ex professo & accurate versatos esse, sed eam obiter tantum attigisse. Ita respondet ipse Augustinus lib. de praed. sanct. c. 14. Quid opus est, inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei (& consequenter de praedestinatione, quae est preparatio gratiae) quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent.

R. 2. Patres illos, saltem plerumque, cum propositum & praedestinationem secundum praescientiam acceperunt, ubi de electorum vocatione acceperunt, intelligi posse nomine praescientiae, ipsam mediorum cum

salute connexorum gratuitam praeparationem significasse, & ita nobiscum sensisse, propositum & praedestinationem divinam non esse, nisi gratuitam beneficiorum, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, dispositionem in mente divina ab aeterno factam. Sic respondet ipse Augustinus lib. de bono persev. cap. 18. Nullus igitur, inquit, qui haec intelligit, negare vel dubitare permittitur, ubi ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit, praedestinationem significare voluisse. Praescivit enim reliquias, quas secundum electionem gratiae fuerat ipse factururus: hoc est ergo, praedestinavit. Sine dubio enim praescivit, si praedestinavit: sed praedestinasse, est hoc praescisse (hoc est, praemeditatum esse) quod fuerat ipse factururus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem praedestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re uti, quod & facilius intelligitur, & non repugnat, imò & congruit veritati, quae de praedestinatione gratiae praedicatur.

R. 3. Probatos quoque Patres, qui ante Augustinum scripserunt, gratuitam praedestinationem, qualem defendimus, admisisse. Quod probatur hoc argumento, quod suggerit S. Augustinus lib. de bono persev. c. 19. Agnoverunt fidem, etiam initialem, & omnia alia opera salutaria cum finali perseverantia esse dona Dei. Ergo agnoverunt Deum ab aeterno praescivisse, quibus haec omnia donaturus erat. Non enim ignorare poterant, quod non solum docti, sed etiam indocti confitentur, nempe Deum nihil dare in tempore, quod se daturum non praesciverit in aeternitate. Atqui haec praescientia est gratuita illa praedestinatio, quam defendimus. Ergo &c. Antecedens probat S. Augustinus loco citato, 1. de S. Cypriano, ex eo quod dicit, In nullo gloriantur, quando nostrum nihil sit, & commonet orandum esse pro inimicis fidei Christianae, monstratque pro perseverantia usque in finem Ecclesiam Christi orare. 2. De S. Ambrosio, ex eo quod ait, non esse in potestate nostra cor nostrum & nostras cogitationes; Christum, ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operari; quem miseratur, vocare; à Deo preparari voluntatem hominum; ut Deus honorificetur à Sancto, Dei gratiam esse; Deum quos dignatur, vocare, & quem vult, religiosum facere. 3. De S. Gregorio Nazian. ex eo quod ad veram fidei confessionem adhortans, eos, quos adhortatur, affatur sic: Qui dedit, quod primum est, dabit & quod secundum. Qui dedit credere, dabit & confiteri. His Chrysostomum addimus hom. 12. in 1. ad Cor. ubi in haec verba, Quis re discernit ita loquitur: Igitur quod accepisti habes, neque hoc tantum, aut illud, sed quidquid habes. Non enim merita tua haec sunt, sed dona Dei. Ex antecedente autem sic probato, cetera omnia sequuntur. Audiamus S. Augustinum loco citato: Haec utique (actus scilicet salutares & perseverantiam usque in finem) gratiae Dei tribuunt. Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur. Numquid autem qui quodam dicturus est, ita confessos istam Dei gratiam, ut auderent negare eius praescientiam, quam non solum docti, sed indocti etiam confitentur? Porro si haec ita Deum noverant dare, ut non ignorarent eum daturum se esse praescisse, & quibus daturus esset, non potuisse nescire; proculdubio noverant praedestinationem, quam per Apostolos praedicatam, contra novos haereticos operasius diligentiusque defendimus.

Declaratur amplius hoc S. Doctores ratiocinium. Probati Patres, Augustino antiquiores, agnoverunt fidem, & in fide, quae per dilectionem operatur, perseverantiam usque in finem donari à Deo iis omnibus, qui credunt, & in fide, quae per dilectionem operatur, usque in finem perseverant. Atqui haec à Deo donari, non est aliud, quam à Deo gratis & misericorditer conferri beneficia, seu media efficacia quibuscum, qui ea accipiunt, certissime credunt, & in fide, quae per dilectionem operatur, invictissime perseverant usque in finem. Ergo probati Patres, Augustino antiquiores, agnoverunt à Deo gratis & misericorditer iis omnibus, qui credunt, & in fide, quae per dilectionem operatur, usque

usque in finem perseverant, conferri media efficacia, quibuscum, qui ea accipiunt, certissime credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, invictissime perseverant usque in finem. Ergo agnoverunt Deum gratis & misericorditer ab æterno pro certis hominibus præordinasse, præmeditatum esse, præparasse media efficacia, quibuscum certissime credituri sunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem invictissime perseveraturi: cum nequidem indocti ignorare possint, Deum ea tantum media salutis conferre in tempore, quæ præordinavit & præparavit, & iis tantum talia media conferre in tempore, pro quibus ea præordinavit & præparavit in sua æternitate. Ergo agnoverunt gratiam prædestinationem, quam contra Pelagianos & Semipelagianos defendit S. Augustinus, & nos cum illo defendimus. Quod valde confirmatur ex eo, quod gratuita prædestinationis fides & sententia semper fuerit in Ecclesia, ut infra ostenderetur.

R. 4. In particulari ad verba Prosperi, ex illis tantum colligi Scriptores Ecclesiasticos, ætate superiores Augustino, non esse diserte & expresse locutos, nisi de hominum electione remuneratoria, & reprobatione positiva, quæ pertinent ad ordinem executionis, & quorum prima bonorum operum & finalis perseverantia, secunda verò malorum operum & impenitentia finalis absolutam prævisionem præsupponit: non enim Deus ab æterno decrevit dare electis gloriam ut mercedem & præmium, nisi quia ratione prius ab æterno prævidit eorum bona opera & finalem perseverantiam. Similiter non decrevit reprobos suppliciis æternis addicere, nisi quia ratione prius eorum mala merita & impenitentiam finalem absolute præcivit. Illos autem Scriptores de electione remuneratoria & reprobatione positiva tantum diserte locutos esse sine præiudicio prædestinationis & reprobationis negative, satis constat etiam ex ipso Prosperi, cum ait, illos docuisse Deum alios vasa honoris, alios verò vasa contumeliæ fecisse, prout præcivit unicuique finem, & in qua futurus esset voluntate & actione sub adiutorio gratiæ: ex hoc enim manifestum est, illos agnovisse necessitatem gratiæ ad opera salutaria, & finalem perseverantiam, proindeque illos agnovisse Deum opera salutaria & finalem perseverantiam donare iis, qui usque in finem perseverant in bona voluntate & actione; sive, quod idem est, eos tantum usque in finem in bona voluntate & actione perseverare, quibus hoc donat Deus, eos adiuvando, quomodo illis aptum est, ut in bona voluntate & actione usque in finem perseverent. Hoc autem agnoscendo, non potuerunt simul non agnoscere Deum iis, qui re ipsa usque in finem perseverant in bona voluntate & actione, & non aliis, ab æterno gratis præparasse ea beneficia, quibuscum in bona voluntate & actione usque in finem erant perseveraturi. Quod est, ab æterno alios gratis prædestinasse, alios verò negative reprobasse; alios ab æterno vasa honoris, alios verò vasa contumeliæ, in sensu Apostoli & Augustini, fecisse ante absolutam meritum vel demeritorum quorumcumque personarum prævisionem.

Ad Iræneum R. illum hoc loco non aliud docere, quam Deum iustum esse, & homines non nisi ob peccata punire, eosque, quos in tempore tradit infidelitatem eorum, qui credere nolunt, & oblatam sibi repudiant veritatem, ab æterno decrevisse eorum infidelitatem tradere; quia cum omnium præcognitor sit, illos non esse credituros præcivit: quare ab æterno faciem avertit ab eis, & eos in tenebris, quas ipsis sibi electuri sunt, relinquere statuit. Quod verissimum est, & dicitur sine præiudicio gratuita prædestinationis. Hoc enim dicendo S. Iræneus non negat Deum gratis & misericorditer ab æterno præparasse vocationes congruas, & alia media efficacia iis, qui credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverant.

Ad Chrysostomum R. illum non dicere, Christum vocasse Matthæum, quia vidit, sed, quando vidit eum esse consenturum vocationi. Loquitur ergo de execu-

Simonet Theol. Tom. I.

tione prædestinationis, non de ipsa prædestinatione: Matthæus itaque vocatus est in iis circumstantiis, in quibus consenturus erat, & vocationem secuturus, en prædestinationis effectus; vocatus est in iis circumstantiis, potius quam in aliis, in quibus si vocatus esset, vocationem repudiasset, quia Deus ab æterno gratis & misericorditer illi non hanc, sed illam vocationem præparaverat, quia Deus ab æterno gratis & misericorditer proposuerat, illum vocare, quomodo illi aptum fore præciebat, ut sequeretur vocationem, en gratuita prædestinatio, quam non negat, sed supponit Chrysostomus, ut ipse satis innuit, cum dicit, quando, non verò, quia vidit, &c. Nec ignorare potuit, Matthæum vocatum esse sic, & non aliter, hoc tempore, & non alio, &c. ut impleteretur propositum divinæ voluntatis, quo Deus ab æterno decreverat illum vocare sic & non aliter, hoc tempore & non alio, &c. & gratis ac misericorditer decreverat: cum ignorare non potuerit vocationem illam fuisse magnum Dei donum, in æternitate præparatum.

Ad alterum locum R. illam pulchritudinem, nobilitatem voluntatis, & aptitudinem ad Apostolatam, quam Christus in Matthæo, antequam vocaret eum, demeratur est, vel fuisse donum aliquod supernaturale, ac proinde aliquid ei jam collatum vi gratuita prædestinationis, vel ipsamet prædestinationis gratiam, & ita Christum vocasse Matthæum, non quia vidit in eo dotem aliquam naturalem, sed vel quia vidit in eo elucere supernaturale aliquod Dei donum, jam ei collatum, vel potius quia vidit eum esse ab æterno electum & prædestinatum ad Apostolatam, & ad eximias qualque dotes in Apostolo necessarias, & ipsi sicut & ceteris Apostolis donandas. Cum autem Chrysostomus dicit Matthæum, etiam antequam vocaretur, fuisse margaritam, cujus pulchritudinem Christus admiratus est, non aliter vult illum tunc fuisse margaritam, quam ethnici prædestinati erant oves Christi, quando Christus ipse dicebat Joan. c. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Sicut igitur, quando de ethnicis electis dicebat Christus, *Alias oves, &c.* illi non erant oves in re, erant enim in re lupi; sed solum in prædestinatione, hoc est, non erant re ipsa oves, sed solum prædestinati erant, ut essent: ita Matthæus, antequam à Christo vocaretur, erat margarita non in re, erat enim tunc publicanus & peccator; sed in prædestinatione tantum, hoc est, non erat re ipsa margarita, sed solum prædestinatus erat, ut esset. Hoc autem sciens Christus, qui omnia norat, & simul admirans aut eximia gratiæ dona jam in eum collata, aut quod ad eximium quendam sanctitatis gradum esset prædestinatus, sicut & ad Apostolatam; ut hanc exequeretur prædestinationem, eum vocavit eo modo, quo sciebat eum esse vocandum, ut vocationi non reluctaretur.

Ad Ambrosium R. illum hic loqui de electione ad gloriam, quæ pertinet ad ordinem executionis, & quæ proinde remuneratoria est, & est ad gloriam ut mercedem & præmium, supponitque absolutam meritum & finalis perseverantiæ prævisionem. Paret non solum ex iis, quæ superius de illo dicta sunt, sed etiam ex ratione, qua hic utitur, cum ait: *Deus personarum acceptor non est*: nam hæc ratio, quæ locum habet in ordine executionis, manifestè falsa est de ordine intentionis: manifestum enim est potuisse Deum sine acceptione personarum, & iniquitate, ex hominibus eadem originali culpa infectis, & omni prorsus divino beneficio equaliter indignis, alios eligere, ut gloriam per merita consequantur, alios non eligere; aliis preparare media cum assecutione gloriæ certò & infallibiliter connexa, aliis non preparare, & ita alios prædestinare, alios verò non prædestinare. Alioqui errat Apostolus, cum ait: *Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. An non habet potestatem figulus luti, &c.*

Denique ad Hieronymum R. illum sic loqui sine

H

præ-

præjudicio gratiæ prædeterminationis. Verum enim est Deum ab æterno diligere eos, quos præscit justos esse futuros, quia præscit justos esse futuros, siue quia futuri sunt iusti. At verum etiam est, quod præsciat justos esse futuros, quia ratione prius diligit ut iusti aliquando fiant. Unde in Deo duplex est amor ab æterno erga justos futuros. Primus est, quo Deus gratuito & misericorditer diligit eos, ut iusti aliquando fiant. De hoc amore, quæ pertinet ad electos, loquitur Apostolus, cum ait Ephes. c. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus*. Secundus est, quo Deus, quos jam præscit futuros esse justos, diligit quia iusti futuri sunt. Unde hic amor non est gratuitus, sed habet causam ex parte hominis amati, nempe iustitiam illius pro tali tempore existentem. De hoc amore loquitur Deus ipse, cum ait Proverb. c. 8. *Egos diligentes me diligo*.

§. III.

Prædeterminationis divine non dari causam ex parte prædestinati, probatur rationibus Theologicis.

1. Ratio. Prædeterminatio est preparatio gratiæ. *Prædeterminatio Dei*, inquit, S. Augustinus lib. de prædest. sanct. c. 10, *quæ in bono est, gratiæ est preparatio: gratia vero est ipsius prædeterminationis effectus*. Atqui preparatio gratiæ non habet causam ex parte hominis, cui gratia præparatur. Ergo, &c. *Prob. min.* Si preparatio gratiæ haberet causam ex parte hominis, cui gratia præparatur, collatio gratiæ haberet causam ex parte hominis, cui gratia confertur: homini enim conferretur gratia in tempore propter illud, propter quod præpararetur in æternitate. Atqui collatio gratiæ non habet causam ex parte hominis, cui gratia confertur: nam si haberet causam aliquam, causa illa aliud esse non posset, quam bonum aliquod opus naturale, hoc est, bonum aliquod opus, ex solis naturæ viribus profectum, & ita gratia simul esset & non esset gratia: ut enim ait Apostolus Rom. c. 11. *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*. Amplius. Si collatio gratiæ haberet aliquam causam ex parte hominis, cui gratia confertur, homo aliquo modo se disponderet ad recipiendam gratiam, & ita cum solis arbitrii viribus faceret aliquid pertinens ad salutem: omnis enim dispositio ad gratiam est aliquid ad salutem pertinens. Conf. autem repugnat scripturæ. Nam Christus dicit Joan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Et ejusd. c. 15. *Sino me nihil potestis facere*. Item si gratiæ collatio haberet aliquam causam ex parte hominis, cui gratia confertur, gratia secundum merita nostra daretur: nam juxta Patres & Concilia, gratia secundum merita nostra datur, si aliquid in nobis præcedit, propter quod datur. *Quomodo*, inquit S. Prosper in lib. adversus Collatorem, *non advertis, te in illud damnatum incidere? quod velis, nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid procedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas*. Atqui quod gratia secundum merita nostra datur, damnatum est a Concilio Palestino, & ipse Pelagius, ne damnaretur, damnare coactus est, & cum Concilio Palestino universa damnavit Ecclesia. Ergo collatio gratiæ nullam habet causam ex parte hominis, cui gratia confertur, & consequenter preparatio gratiæ nullam habuit causam ex parte hominis, cui gratia præparata est: hæc igitur preparatio gratuita & misericorditer facta est à Deo, qui ejus non miseretur, & ejus non vult, non miseretur.

2. Ratio. Prædeterminatio est preparatio mediorum, quibuscumque, qui ea accipit, credit, & alia pietatis opera exercet, atque usque in finem perseverat. Constat ex superius dictis. Atqui preparatio mediorum ejusmodi non habet causam ex parte hominis, cui præparantur. Ergo, &c. *Prob. min.* Si preparatio mediorum ejusmodi haberet causam ex parte hominis,

cui præparantur, nec fides, nec alia pietatis opera, nec perseverantia usque in finem donarentur à Deo. Cum enim donum pendeat à sola voluntate donantis, in tantum fides v. gr. dici potest donari à Deo, in quantum vel Deus eam in nobis sine nobis liberè volentibus operatur; quod est contra Catholicam veritatem; vel saltem non credimus, nisi dependenter à Deo gratis omnino, & nullo nostro præcedente qualicumque naturali merito, præparante voluntates nostras, easque adjuvante, quomodo nobis aptum est, ut velimus credere, & liberè credamus. Atqui fides & alia pietatis opera cum perseverantia usque in finem donantur à Deo. Ergo, &c.

Prob. min. Et 1. Quod fides donetur à Deo, expressè docet Apostolus Ephes. c. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis gloriatur*. 2. Quod etiam alia pietatis opera donentur à Deo, idem Apostolus ibidem apertè significat: sic enim profertur: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus*. 3. Quod etiam donetur à Deo perseverantia usque in finem, constat ex eodem Apostolo ad Philip. c. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. Ad hæc accedit invictissimum argumentum, ab orationibus Ecclesiæ petum. Nec enim petitur à Deo, nisi quod ab eo donatur. Atqui Ecclesia petit fidem pro infidelibus, & pro fidelibus non solum fidem, sed etiam humilitatem, patientiam, castitatem, charitatem, & alias virtutes, atque in primis perseverantiam usque in finem. Ergo, &c. Hoc argumento utitur Sanctus Augustinus lib. de bono perseverant. cap. 2. *Cur*, inquit, *perseverantia ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? an & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in hominis potestate? sunt irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit*. Et c. 7. *Posci à se vult, ne inferamur in intimationem; quia si non inferamur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, sed oratione nostra nos vult admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim nisi ab illo accipimus, à quo iustum est ut petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem. Orat ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem*.

3. Ratio. Si prædeterminatio haberet causam ex parte prædestinati, certè hæc causa esset aliquis bonus usus liberi arbitrii, aliquid opus bonum. Atqui hoc dici non potest, Nam bonum illud opus vel esset opus supernaturale, vel naturale. Non primum. Nam omne opus supernaturale, in re existens, supponit collationem gratiæ, in re existentem, & consequenter omne opus supernaturale in præscientia, supponit collationem gratiæ in præscientia. Collatio autem gratiæ in præscientia supponit preparationem gratiæ: prius enim est præparari gratiam, quam præsciri eam esse conferendam. Ergo omne opus supernaturale in præscientia supponit preparationem gratiæ. Ergo, quod idem est, Deus non præparat gratiam, quia præscit opus supernaturale futurum; sed è contra præscit opus supernaturale futurum, quia præparat gratiam; ac proinde Deus non præparat gratiam, quia opus supernaturale futurum est; sed è contra opus supernaturale futurum est, quia Deus præparat gratiam. Sed prædeterminatio est preparatio gratiæ. Ergo Deus non prædestinat, quia opus aliquod supernaturale futurum est; sed è contra opera supernaturalia futura sunt, quia Deus prædestinat.

Non secundum. Alioqui, 1. Apostolus perperam dicit, Rom. c. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nam homo dabit aliquid Deo, nempe opus naturale, propter quod retribuentur illi auxilia congrua, & cum salute connexa. 2. Prædestinatus se ipsum pri-

primò discernet à non prædestinato, & habebit aliquid, quod non acceperit, & jure gloriabitur in se ipso, seu in libero suo arbitrio, contra illud Apostoli 1. Cor. c. 4. *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 3. Discretio prædestinatorum à non prædestinatis, non erit referenda inter arcana altissima, & inscrutabilia. Nam quare unus sit prædestinatus, & alius non sit prædestinatus, si quis interroget, dicemus unum esse prædestinatum, quia bene usus est libero arbitrio, & alium non esse prædestinatum, quia libero arbitrio male usus est; dicemus Deum ab æterno prævidisse unum bene, alterum verò non bene usurum esse libertate sua in talibus circumstantiis, & ideo ab æterno uni preparasse media efficacia & cum salute connexa, alteri verò non preparasse. Quod manifestè repugnat Apostolo exclamanti Rom. c. 11. *O altitudo divitiarum sapientia & scientia Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia eius, & investigabiles viae eius! quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sic autem exclamat Apostolus ex occasione prædestinationis Gentilium, & Judæorum negativæ reprobationis, quas proinde refert inter altissima & inscrutabilia mysteria. Quod perperam faceret, si penderent à naturali aliquo liberi arbitrii usu, utper se patet. 4. Homo solis naturæ viribus posset aliquid, quod ad salutem conduceret. Quod Synodus Arausica damnat Can. 7. *Si quis, inquit, per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere posse confirmat... heretico fallitur spiritu.* 5. Denique, Deus prædestinans non affligeretur finem, quem sibi in prædestinando supponit: finis enim ille est, ut docet Apostolus, ostensio divitiarum gratiæ Dei in vasa misericordiæ, & commendatio divini gratiæ. At si Deus non prædestinaret homines, nisi propter aliquem bonum liberi arbitrii usum absolutè prævisum, tunc non misericordiam & gratiam suam ostenderet & commendaret, sed justitiam & aequitatem, neque tunc tam gratiam quam mercedem prepararet prædestinando. Denique eatenus dici potest ostendere divitiis misericordiæ suæ erga electos, & commendare gratiam suam illos prædestinando, quatenus illos eligit & prædestinat præ cæteris, quos in massa perditionis derelinquit, quamvis una sit omnium propter communem omnibus culpam condemnatio, & ita omnes divina gratia & beneficentia aequaliter indigni sint, & aequaliter ad eam indispliciti.

Obj. 1. Prædestinatio est electio. *Elegit prædestinans nos,* inquit S. Augustinus lib. de prædest. Sanct. c. 18. Atqui electio supponit disparitatem in iis, qui præ cæteris eliguntur. Qui enim eligit, si non errat, quod melius est, eligit. Ergo prædestinatio supponit aliquam disparitatem in iis, qui prædestinantur; hæc autem disparitas est saltem bonum aliquod opus naturale in præscientia. Ergo prædestinatio supponit aliquod saltem bonum opus naturale, seu bonum aliquem libertatis usum futurum, absolutè prævisum ratione prius, quam homo prædestinetur. R. duplicem esse distinguendam electionem: unam, quæ supponit dignitatem in eo, qui eligitur; & alteram, quæ non supponit dignitatem in eo, qui eligitur, sed eam facit. De utraque loquitur S. Augustinus ser. 7. de verbis Domini, cum ait: *Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, sicut dixit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam.* Deus igitur eos omnes, qui re ipsa salvantur, eligit duplici electione. Nam 1. eligit eos secundum suam gratiam, hoc est, gratitudè & misericorditer, illos prædestinando, hoc est, illis preparando beneficia, quibuscumque perseveranter digni futuri sunt gloria; & hæc electio non supponit, sed facit dignitatem electorum, sumptam scilicet sub ea consideratione, sub qua apta esse potest ad movendum eligentem: non est enim absolutè futura, nisi ratione posterius ad hanc electionem:

Simonnet Theol. Tom. I.

licet sit ratione prius ut est possibilis & futuribilis sub talibus vel talibus conditionibus. 2. Eligit eos secundum eorum justitiam, absolutè futuram, & finali perseverantia consummandam, hoc est, propter bona eorum merita absolutè futura, & perseverantia finali coronanda, illis videlicet preparando gloriam ut mercedem & premium, quia perseveranter digni futuri sunt gloria. Hæc electio non facit, sed supponit dignitatem electorum in præscientia, sub qua consideratione movere potest eligentem. Electorum enim dignitas non est absolutè futura, quia Deus preparat gloriam ut mercedem; sed è contra Deus preparat gloriam ut mercedem, quia dignitas electorum absolutè futura est.

Ad obj. itaque. R. Deum prædestinando eligere, quos prædestinat. At hæc electio non est secundum illorum justitiam, quæ nondum futura est, sed secundum gratiam; non est ad mercedem, sed ad gratuita beneficia, quibuscumque, qui ea accepturi sunt, digni futuri sunt mercede; non est ex disparitate & dignitate eorum, qui sic eliguntur, sed ut aliquando sit hæc disparitas & dignitas: non est denique electio retribuentis ei, qui prior dedit illi, sed misericordiam præstantis ei, cujus miseretur, quia vult in laudem gloriæ gratiæ suæ, qui si nollit misereri, non esset culpandus, sed laudandus ob justam severitatem.

Obj. 2. Si datur gratuita illa prædestinatio, quam prædicamus, verum est ante prævisionem absolutam cujuscumque meriti vel demeriti personalis, quod tot & non plures homines salvabuntur: Deus enim tot & non plures homines prædestinavit: nam tot & non pluribus hominibus preparavit media efficacia, & cum affectu gloriæ connexa. Sed talis doctrina tollit correptiones, exhortationes, orationem, industriam atque diligentiam, & quod pejus est, desperationem affert, & ad omne flagitiorum & corruptelarum genus impellit. Potest enim quilibet sic ratiocinari. Si prædestinatus non sum, quidquid boni egero, infallibiliter è statu gratiæ excidam, & damnabor: si verò prædestinatus sum, quidquid mali egero, infallibiliter converrar, & salvabor. Ergo doctrina nostra de gratuita prædestinatione rejicienda est, tanquam noxia & scandalosa.

R. ad maj. ita esse. Nam quatuor hic vera sunt. 1. Quod omnes prædestinati salvabuntur. 2. Quod soli prædestinati salvabuntur. 3. Quod Deus tot determinatè & in particulari & non plures prædestinavit. 4. Quod tot & non plures prædestinavit ante prævisionem cujuscumque meriti vel demeriti personalis, licet non ante prævisionem peccati originalis. Ex quibus manifestè sequitur, quod ante prævisionem cujuscumque meriti vel demeriti personalis, & post solam prævisionem peccati originalis, verum fuerit dicere: Tot determinatè & in particulari homines certissimè salvabuntur, ceteri omnes certissimè damnabuntur. Et verò neque omnes homines salvantur, neque omnes damnantur; sed aliqui tantum salvantur, & ceteri omnes damnantur, juxta illud Christi, *Multi vocati, pauci vero electi.* Atqui omnes illi & soli salvantur, quibus dantur à Deo media cum salute connexa. Ergo aliquibus tantum dantur à Deo media cum salute connexa, & ceteris omnibus non dantur. Sed Deus non confert beneficia in tempore, nisi quæ preparavit, & se daturum præsevit in eternitate, hoc est, quæ ut danda in tempore ordinavit & disposuit per scientiam suam & propositum suum in eternitate. Ergo aliquibus tantum media cum salute connexa à Deo preparata fuerunt in eternitate, ceteris verò omnibus non fuerunt preparata. Atqui, ut invictissimè probatum est, quibus fuerunt preparata, preparata fuerunt gratis omnino & misericorditer, & consequenter ante prævisionem qualicumque meriti personalis: sicut quibus non fuerunt preparata, preparata non fuerunt ante prævisionem cujuscumque personalis demeriti. Ergo ante prævisionem cujuscumque meriti vel demeriti personalis, tot determinatè & non pluribus preparata fuerunt media cum salute connexa, & consequenter verum est ante prævisionem

H 2

cujus

cujuscumque meriti vel demeriti personalis, tot determinatè, & non plures accepturos media cum salute connexa, & ita tot determinatè & non plures salvandos, hos in particulari certissimè salvandos, quia sunt discreti, electi, prædestinati, illos certissimè damnandos, quia non sunt discreti, non sunt electi, non sunt prædestinati, & sic sunt negativè rejecti & reprobari: hi tamen non damnabuntur, nisi propter mala merita: sicut illi, si adulti fuerint, salutem non assequuntur, nisi per bona merita.

Totam hanc argumentationem breviter absolvit S. Augustinus lib. de bono persev. c. 14. ubi sic loquitur: *An quisquam dicere audebit Deum non præscisse, quibus esset daturus ut crederent* (fide scilicet quæ per dilectionem operatur usque in finem) *aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam ?* *Que utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit* (& præsciendo hoc ipso prædestinavit.) *Hæc enim prædestinatio Sanctorum, nihil aliud est, quam præscientia, scilicet, præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Nam 1. ex collatione mediiorum cum salute connexorum, quæ fit in tempore, probat prædestinationem factam in æternitate, probando mediiorum illorum preparationem in æternitate factam, 2. Asserendo hanc preparationem esse beneficiorum Dei preparationem, ostendit eam esse planè gratuatam, & consequenter factam esse ante prævisionem qualiscumque meriti personalis. 3. Dicendo, beneficiorum Dei, quibus liberantur, significat Deum non præparasse media cum salute connexa certis hominibus, nisi post absolutam peccati originalis præscientiam, & ita non modò non dignis, sed etiam positivè indignis præparata esse media cum salute connexa. Liberatio enim supponit miseriam, vel servitutem, à qua liberari possit, qui liberandus dicitur. 4. Dicendo, quibus liberantur certissimè, quicumque liberantur, duo affirmat, nimirum & omnes, quibus media ejusmodi præparata fuerunt, certissimè salvari, & eos solos salvari, seu quod idem est, alios omnes, quibus præparata non fuerunt media ejusmodi, damnari: quia, ut prosequitur S. Doctor, *ubi nisi in massa perditionis iusto divino judicio relinquuntur: ubi Tyrrii reliqui sunt & Sidonii, qui etiam credere potuerant, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum.* Idem expressius docet c. 22. ubi sic ait: *Si qui nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipiant eandem gratiam, qua electi velint esse & sint, si qui autem obediunt, sed in regnum ejus & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permancbunt.* Et expressissimè lib. de corr. & gr. ubi sic ait c. 7. *Quicumque ab illa originali damnatione ista divina gratia largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide, qua per dilectionem operatur, usque in finem perseverant; & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt, & nonnulli accepta gratia, in qua libet atate periculis hujus vite mortis celeritate subrahuntur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordie operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratie. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia... Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt... horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus..., qui vero perseverant non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsi sunt, ut tales eos vite hujus finis inveniat, proculdubio nec illo tempore, quo bene pèque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi: sed in eis vocati, de*

quibus dictum est: *Multi vocati: & non in eis, de quibus dictum est: Pauci vero electi.* Itaque secundum Augustinum, omnes & soli, gratuatò à massa perditionis præscientia & prædestinatione divina discreti, in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverantur sunt, & ita omnes & soli sunt salutem assecuturi, quia omnes & soli secundum propositum sunt vocandi, hoc est, vocandi ea vocatione, de qua loquitur Apostolus Rom. c. 8. qua videlicet qui vocati sunt, justificantur, & justificati glorificantur: hoc est, quia omnes & soli ea rum interna rum externa auxilia accipiunt, quibuscum justificantur, & in justitia accepta usque in finem perseverant: ita ut semel acceptam nunquam amittant, aut si quando per aliquod mortale peccatum amittunt, non prius moriantur, quam amissam recuperant per penitentiam, nec nisi in statu justitiæ ex hac vita decedant.

At inquires. Cum fideles omnes peccatores accipiant pro loco & tempore auxilium, quo converti possunt, si velint: & ut fides docet, & justii omnes habeant auxilium, quo perseverare possunt, si velint; fieri potest, ut fidelis peccator, qui non est prædestinatus, convertatur, & conversus, usque in finem perseveret in gratia per conversionem accepta. Contra fieri potest, ut fidelis peccator, qui prædestinatus est, non convertatur, aut conversus non perseveret in gratia per conversionem accepta: hic enim potest nolle converti, aut conversus nolle perseverare: sicut è contra alter potest velle converti, & conversus velle perseverare. Ergo non est ratio negandi aliquos saltem ex non prædestinatis salvari, & è contra aliquos ex prædestinatis damnari, & consequenter gratis dicitur, omnes & solos, à massa perditionis per scientiam Dei & prædestinationem gratuatò discretos, perseveraturos esse usque in finem in accepta justitia, & ita illos omnes & solos gloriam esse adepturos.

R. neg. conf. Nam sicut inter fideles peccatores, quamvis omnes accipiant pro loco & tempore auxilium, quo converti possunt, si velint, ii tantum re ipsa convertuntur, qui accipiunt donum penitentiae: ita inter justos, licet omnes perseverare possint, si velint, ii tantum re ipsa usque in finem perseverant, qui accipiunt donum perseverantiae: nam perseverantia usque in finem non minus, imò potius est donum Dei, quam penitentia, & alia pietatis opera. Inter justos autem ii tantum donum perseverantiae accipiunt in tempore, quibus præparatum est in æternitate, ut per se clarum est: & iis tantum præparatum est in æternitate, qui à massa perditionis per scientiam Dei & prædestinationem gratuatò discreti sunt: cum prædestinatio sit ex parte gratuita præparatio perseverantiae usque in finem. Ergo inter justos ii tantum re ipsa perseverant usque in finem, & consequenter inter justos ii tantum salvantur, qui gratuatò prædestinati sunt, & ita nullus justus ex non prædestinatis salvatur, quia nullus justus ex non prædestinatis re ipsa perseverat usque in finem. Sed & nullus ex justis gratuatò prædestinatis damnatur, quia omnes re ipsa usque in finem perseverant: omnes enim accipiunt in tempore donum perseverantiae, quia omnibus fuit præparatum in æternitate: cum, ut dictum est, prædestinatio sit finalis perseverantiae gratuita præparatio. Omnes igitur & soli gratuatò prædestinati salutem consequuntur æternam, & sic, quod supra posuimus, ante prævisionem qualiscumque meriti vel demeriti personalis verum est dicere: Tot determinatè, & non plures, nec pauciores salvabuntur.

Hæc autem doctrina 1. non impedit correptiones, adhortationes, orationes, sed è contra earum necessitatem asserit. Nam gratuita prædestinatio, quam defendimus, est præparatio mediiorum, quibus Deus vult electum dirigi, & novit efficaciter dirigendum ad finem vite æternæ. Inter hæc autem media locum habent correptiones, adhortationes, & orationes. 2. Non tollit, sed confirmat industriam & diligentiam. Nam media per prædestinationem præparata, & sine quibus electus ad finem vite æternæ perventurus non est, effectum suum habere non possunt sine libera

ra coo-

ra cooperatione, & consequenter sine industria & diligentia prædestinati. 3. Desperationem non affert, sed reprimit elationem & præsumptionem, docendo non in nobis, sed in Deo spem & fiduciam nostram esse colloendam. *Abst.* inquit S. Augustinus lib. de bono persev. c. 22. *à vobis ideo desperari de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis homo, qui spem habet in homine; & bonum est considerare in Domino, quam considerare in homine; &c.* Et paulò inferiùs: *An timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo? Non autem desperaret, si eam in se ipso superbiſſimus & infeliciſſimus poneret?* 4. Non impellit ad corruptelas & flagitia, sed cum Apostolo monet unumquemque, ut cum metu & tremore salutem suam operetur, quando quidem Deus est, qui operatur & velle & perficere pro bona voluntate. Nec urget veritas argumenti propositi: cum non magis vallere possit ad infirmendam gratuitam prædestinationem, quam ad infirmendam præscientiam divinam valeat hoc aliud simile argumentum: Si Deus præscit me non esse salvandum, quidquid boni egero, è statu gratiæ decidam, & damnabor: si è contra præscit me salvandum esse, quidquid mali egero, tandem convertar, & salvabor. Quod ratiocinium proculdubio verissimum est, nec tamen sapientem deterrebit à moribus componendis, à malo fugiendo, & faciendo bono. Quòd si tamen contingat aliquem hoc abuti ratiocinio ad malè & flagitiosè vivendum, num idcirco minus verum est, Deum certò & infallibiliter præscire omnia? Num idcirco neganda est, aut tacenda præscientia divina? Similiter de ratiocinio in objectione proposito, dico per illud sapientem neminem deteritum iri à vita piè sanctèque instituenda. Quòd si tamen contingat aliquos eos ad malè & perditè vivendum abuti, hoc nullatenus obſcurare potest veritatem gratiæ prædestinationis, nec ideo minus hæc veritas ab eo, qui fidelis esse vult, tenenda est, & ubi opus est, predicanda. Ita Massiliensibus responder S. Augustinus lib. de bono persev. c. 15. *Ista cum dicunt, inquit, ita nos à confidenda Dei gratia... & à confidenda secundum eam prædestinatione sanctorum deterere non debent: sicut non deterremur à confidenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, ut dicat: Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præcivit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos. Numquid enim si hoc audito, nonnulli in torpore segnitieque verentur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei saluum putandum est esse, quod dictum est?*

Addo cum doctrina gratiæ prædestinationis, quam defendimus, verum esse, 1. Neminem nisi bonum salvatum iri, neminem nisi malum damnatum iri. 2. Neminem malum esse sine malo libertatis usu, neminem bonum esse sine bono usu libertatis. 3. Deum sincerè velle salutem omnium, maximè fidelium. 4. Et ita Deum media ad salutem consequendam idonea subministrare omnibus, maximè fidelibus. 5. Mediorum illorum ope posse unumquemque ad justificationis gratiam pervenire, dein servare mandata, & in bono usque in finem perseverare. 6. Eos omnes, qui usque in finem perseverant in bono, esse de numero eorum, qui gratiò prædestinati sunt, & à massa perditionis per electionem gratiæ discreti. 7. Sicut nemo debet temerè presumere, pro certo statuendo se esse de numero prædestinatorum, & ita, quomodo-cumque vixerit, infallibiliter salvandum: ita neminem, maximè inter fideles, se de numero illo esse, desperare debere, sed unumquemque posse & debere in Domino humiliter confidere, & sic confidendo omnem diligentiam & industriam adhibere in operanda salute sua, quamvis non sine metu & tremore, quia quantum in hac mortali vita degimus, quinam ad gratuitam illam salvandorum discretionem pertineant, quinam verò non, sine speciali revelatione scire non pos-

Simonnet Theol. Tom. I.

sumus. Quæ cum omnia nobis abundè sufficiant, ut vitia fugere, sectari virtutes, & salutis curam suscipere velimus, gratiæ prædestinationis doctrinam moribus obesse non potest, nisi per accedens, & propter malitiam hominum, qui rebus abutuntur optimis; per se verò maximè potest prodesse, superbiam comprimendo, humilitatem & diffidentiam sui suadendo, imò & stimulando ad amorem & cultum illius, à quo tantum gratiæ discretionis beneficium accepisse nos, humiliter confidimus. Hæc tamen doctrina, cum nulla urgeat necessitas, non est temerè populis proponenda, sed inter concionandum, aut etiam colloquendum cum rudibus, aut malæ vitæ hominibus, ea tantum ex tanto, tam alto, & tam inscrutabili mysterio propalanda sunt, quæ audientium animos ad poenitentiam, & alia opera bona exercenda, pro eorum præfenti dispositione excitare valeant.

Obj. 3. Si divina prædestinatio non haberet causam ex parte prædestinatorum, & ita si divina prædestinatio penderet à sola voluntate & bonitate divina, vel omnes homines, vel saltem plures essent prædestinati, quam non prædestinati; quia Deus summè bonus & misericors est. Atqui neque omnes, neque etiam plures sunt prædestinati, quam non prædestinati, juxta illud Christi, *Multi vocati, pauci vero electi.* Ergo, &c. R. Hoc argumentum vim sortasse aliquam habere possit, si prædestinatio hominum facta esset ante peccati originalis prævisionem: nam in Angelis, quorum prædestinatio facta est ante absolutam præscientiam cujuscumque peccati, videtur major pars fuisse prædestinata. Cum autem hominum prædestinatio facta non fuerit ante prævisionem lapsus Adami, ut moralis capitis totius humani generis, & totum genus humanum propter Adami lapsum in iustissimam incideret condemnationem, proindeque omni beneficio divino indignum effectum sit, potuit Deus, illæsa summa sua bonitate, adhuc pauciores, imò nullos prædestinare, sed omnes in massa perditionis, per originale peccatum facta, iustissimo judicio derelinquere. Unde magna Dei misericordia est, quòd aliquos, imò plurimos absolute, quamvis non relative, prædestinare, & prædestinando à massa perditionis discernere voluerit: præsertim cum ceteros ita negativè reprobarit, ut nullatenus eos à salute antecedenter excludat, sed è contra sincerè desideret eos salvari, & ex hac sincera voluntate det eis pro loco & tempore media ad salutem verè idonea, quorum bonum vel malum usum libertati eorum convenientissimè relinquit, & abusus permittit. Quòd autem tam paucos in comparatione eorum, qui pereunt, prædestinavit, ratione non caret. Hoc enim fecit, ut quod omnibus deberetur, appareret, & magis ostenderet divitias gratiæ suæ in vala misericordiæ. Sed audiamus hac de re S. Augustinum lib. de bono persev. c. 12. *Hominibus dat, quibus vult, quoniam misericors est: quod & si non det, iustus est: & non dat quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam quod non merentur, profectò gratiam, & per hoc meritam suam gratiam esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes mererentur ostendit, bonus in beneficio certorum, iustus in supplicio ceterorum: & bonus in omnibus, quoniam bonum est, cum debitum redditur: & iustus in omnibus, quoniam iustum est, cum debitum sine cujuscumque fraude donatur.* Et lib. de corr. & grat. c. 10. *Quod pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberentur multi, gratia fit, gratis fit: gratiæ sunt agende, quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obſtruitur, & qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

Obj. 4. Si prædestinationis divinæ nulla daretur causa ex parte prædestinatorum, 1. Non posset reddi ratio, quare hunc potius prædestinet Deus, quam illum. 2. Hunc prædestinando potius quam illum, Deus esset iniquus, & personas acciperet. *Ad 1. conf.* R. 1. Quare hunc Deus potius prædestinet, quam illum, nullam esse rationem ex parte eorum, quorum unus eligitur, & alter rejicitur; quia pro eo ratio-

H 3 nis

nis signo, pro quo unus eligitur, & alter rejicitur, ambo aequaliter indigni sunt, qui eligantur, & ambo aequaliter digni, qui rejiciantur. Quare igitur hunc Deus potius prædestinet, quam illum, ratio quæri non debet, nec assignari potest, nisi ex parte Dei, & est beneplacitum divinæ voluntatis, quo Deus pro jure suo, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, non miserendo. Itaque hunc, & non illum prædestinat, quia huius, & non illius, misereri vult. R. 2. cum S. Augustino lib. de bono pei. v. c. 11. *Investigabilis est misericordia, quæ cuius vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis; & investigabilis veritas, quæ quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur, plerumque communibus.* Et c. 12. *Quare illos potius (liberet) quam illos? iterum atque iterum dicimus, nec nos pingeret: O homo, tu qui es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Et hoc adjiciamus: Altiore te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Et tract. 26. in Joan. *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* Ratio sic respondendi cum S. Doctore est, quia præter divinæ voluntatis beneplacitum non potest secundum fidem alia assignari causa, cur unus potius quam alius prædestinetur.

Ad 2. conf. R. neg. Nam accipere personam dicitur, qui indigno, vel minus digno dar, quod digniori aliqua ratione debetur; & iniquus in dando, qui dat alicui cum injuria alterius, cui subtrahit quod dat, & ad quod jus habet is, cui subtrahitur. At Deus hunc, & non illum prædestinando, unigratiam præstat sine alterius injuria, quia alteri nihil debetur nisi supplicium; nec digniori subtrahit, quod det minus digno, aut indigno, quia uterque aequaliter indignus est. Deus igitur hunc, & non illum prædestinando, neque iniquus est, neque personarum acceptor. Nam, ut dicit S. Thomas q. 23. a. 5. ad 3. *In his, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare, cui vult, plus vel minus (dummodo nulli subtrahat debitum) absque præjudicio iustitiæ.* Et hoc est, quod dicit paterfamilias, Matth. 20. cap. *Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo facere?* Merito igitur sic loquitur S. Augustinus lib. de bono persev. cap. 8. *Non itaque sumus ingrati, quod secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione, ut si inde neminem liberaret, non esset injustus. Ex uno quippe omnes in condemnationem non injustam iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debitum bonitas, in exigendo aequitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas invenitur, & consequenter nec personarum acceptio.*

§. I V.

Quod divina prædestinationis nulla detur causa ex parte prædestinati. Est fidei dogma.

Probatur 1. Testimonio Patrum, qui post exortam hæresim Pelagianam scripserunt. Nam 1. S. Augustinus lib. de bono persev. c. 18. sic ait: *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Et c. 23. *Ille dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis huius & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos cura diligentiori defenditur: ille, inquam, hoc dicat qui dicere audeat, aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles. Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit, nec ab illo semper cognita, unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis huius fidem, quæ contra novos hæreticos nova sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit.*

2. S. Prosper in prima responsione ad objectiones Gallorum sic loquitur: *Prædestinationem Dei*

nullus Catholicus negat. Et in epist. ad Rufinum de lib. arb. sic ait: Tam impium est negare (prædestinationem) quam ipsi gratiæ contraire. Manifestum autem est eum loqui de gratuita prædestinatione, quam defendimus: loquitur enim de prædestinatione, quam in suis contra Pelagianos libris propugnabat Augustinus, & quam Cælsianus, alique in Gallia Presbyteri oppugnabant.

3. Petrus Diaconus in lib. de incarnatione & gratia Christi, in fine hæc habet: *Anathematizamus... præcipue libros Fausti, Galliarum Episcopi, qui de Monasterio Lirinensi proventus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non dubium est. Hæc autem circa prædestinationem sententia, contra quam libros suos de gratia & libero arbitrio scripsit Faustus, fuit certo certius sententia S. Augustini.*

4. S. Fulgentius in lib. de incarn. & grat. Christi c. ult. in epilogo, hæc scribit: *Cujus prædestinationis veritatem, quæ nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Christo testatur Apostolus, si quis detractat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, si ante ultimum diem vite presentis, impietatis suæ contumaciam, quæ Deo vivo & vero rebellis obstitit, non abjecerit; manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis & elegit & prædestinavit ad regnum. Quæ verba nullum tergiverlandi locum relinquunt.*

Prob. 2. Autoritate Celestini Papæ. Cum enim ad illum querelas suas Prosper & Hilarius Augustini discipuli detulissent de quibusdam Galliæ Presbyteris, qui sententiam Augustini de prædestinatione & gratuita electorum à reprobis discretionem criminabantur, scripsit ad Episcopos Galliæ Epistolam, in qua c. 2. sic de Augustino loquitur: *Augustinum sanctæ recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistra suspitionis saltem rumor adpersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos, etiam ante à meis decessoribus haberetur; bene ergo de eo omnes in commune senserunt, ut potè qui ubique cunctis & amoris fuerit & honoris. Unde resistatur talibus, quos malè crescere videmus, Impensè, ut vides, Augustinum laudat Celestinus, & testatur, illum nequidem rumore sinistra suspitionis, dum contra Pelagianos pugnaret, adpersum esse; illum in communione sua Romanæ Ecclesiæ semper habuisse, & magistris optimis annuerasse. At qui hæc verè dici potuerunt, si Augustini de prædestinatione sententia falsa fuit? Si enim circa prædestinationem erravit Augustinus, erravit non solum falsitatem pertinaciter tuendo, sed etiam temerè illam ut ipsius Ecclesiæ doctrinam venditando, dum asseruit, prædestinationis, qualem defendebat, fidem in Ecclesia semper fuisse, & contra illam neminem unquam nisi errando disputare potuisse. Celestino igitur & Ecclesiæ Romanæ persuasum fuit, & Augustini de prædestinatione sententiam veram esse, & prædestinationis, qualem defendebat, fidem in Ecclesia semper fuisse, atque contra illam, nisi errando, unquam disputare potuisse neminem. Quod confirmatur, & amplius declaratur ex eo, quod Celestinus Episcopis, ad quos scribit, jubet ut resistent Presbyteris Augustini obtræctoribus, quos dicit malè crescere. Quia nimirum impugnando doctrinam Augustini de prædestinatione, Ecclesiæ doctrinam impugnabant. Et verò quid in Augustini libris contra Pelagianos editis reprehendebant Presbyteri illi? ut docet Prosper in sua ad Augustinum epistola. Reprehendebant propositum illud divinum, quo assererat Augustinus Deum ante constitutionem mundi ex hominibus post absolutam originalis peccati præscientiam alios fecisse vasa honoris, alios verò vasa contumeliæ, scilicet secundum placitum voluntatis suæ, alios à massa perditionis discernendo, alios verò in massa illa relinquendo; alios eligendo, alios verò rejiciendo; alios prædestinando, alios verò negativè reprobando. Hoc propositum ferre non poterant; hoc ut oppugnarent, excogitarunt initia quædam bonorum operum, ex*

foliis

solis naturæ viribus profecta, & in alios inciderunt errores, quorum condemnatio, facta ab Ecclesia, evidentem habet connexionem cum veritate propositi, pro quo contra Pelagianos tam acriter pugnavit Augustinus. Postquam enim contra Semipelagianos definitum est, hominem per solas naturæ vires nihil boni posse, quod ad salutem aliquo modo conducat; fide certum est rationem, quare unus media efficacia & cum salute connexa accipiat, alter vero non accipiat, nullam assignari posse ex parte liberi arbitrii per vires naturales sese disponentis vel non disponentis ad gratiam, & consequenter recurrendum esse ad propositum Dei, qui ante constitutionem mundi & ab æterno, secundum placitum voluntatis suæ, uni præparavit media ejusmodi, alteri vero non præparavit; quod est, Deum secundum placitum voluntatis suæ unum elegisse, alterum vero negativè rejecisse; unum discrevisse à massa perditionis, alterum vero non discrevisse; unum prædestinasse, alterum vero negativè reprobasse.

Prob. 3. Autoritate Gelasii Papæ. Nam in Concilio Romano 79. Episc. non solum approbavit omnia opera SS. Augustini & Prosperi, sed etiam Cassiani, & Fausti Regienfis scripta reprobavit. At non solum Augustinus, sed etiam Prosper sententiam de gratuita prædestinatione ut fidei dogma tenuit & scriptis suis defendit contra Cassianum; sicut postea Faustum Regiensem S. Fulgentius. Cassianus enim, & postea Faustus Regienfis in hoc potissimum scriptis suis incubuerunt, ut Augustini de prædestinatione sententiam impugnarent, & expugnarent non tantum ut veritati, sed etiam ut fidei repugnantem. Judicavit ergo Gelasius Pontifex Maximus cum suis Episcopis, Augustinum & Prosperum rectè & catholicè, Cassianum vero & Faustum malè sensisse & scripsisse de prædestinatione. Gelasius ergo, & qui cum eo erant Episcopi, judicarunt cum Augustino gratuitæ prædestinationis fidem in Ecclesia semper fuisse, neminemque potuisse unquam, nisi errando, contra illam disputare; & cum Prosperi, gratuitam prædestinationem negare, tam impium esse, quam contraire gratiæ, quia scilicet, qui negat gratuitam prædestinationem, negat gratuitam præparationem gratiæ; & qui hoc negat, æquivalenter asserit gratiam secundum merita nostra dari. Nam si gratia in æternitate non fuit gratis præparata, non datur gratis in tempore, & sic secundum merita nostra datur. Quod cum Cassianus & Faustus, ut Augustini de prædestinatione doctrinam everterent, scriptis suis stabilire conati sint, gratiam voluntatis pedisequam faciendo, meritò reprobati sunt à Gelasio & Episcopis, qui ejus Concilio adfuerunt. Unde sic adhuc argumentor. Gelasius cum suis Episcopis rejecit Cassianum & Faustum, quia gratiam voluntatis pedisequam faciebant. Ergo Gelasius cum suis Episcopis credebatur, in iis, quæ ad salutem pertinent, non voluntatem gratiæ, sed gratiam voluntati semper præire, & ita gratiam, non secundum merita nostra, sed gratis dari. Ergo Gelasius cum suis Episcopis credebatur gratiam fuisse præparatam in æternitate, proindeque iis omnibus, qui salvantur, gratis fuisse præparatam in æternitate media illa & auxilia gratiæ, quibus cum certissimè salvantur in tempore, atque eadem fide credebatur, media illa fuisse gratis præparata in æternitate, qua credebatur gratis dari in tempore. Quia qui dicit unum, dicit & alterum, & qui negat unum, negat & alterum, ut per se manifestum est.

Prob. 4. Ratione. Ecclesia universa petit à Deo pro infidelibus ut credant, & pro fidelibus ut perseverent. Ergo universa Ecclesia credit, fidem, & in fide, quæ per dilectionem operatur, perseverantiam usque in finem esse dona Dei: non enim petit à Deo, nisi ea, quæ per fidem novit donari à Deo, & orationibus obtineri posse à Deo. Ergo, quod idem est, Ecclesia universa credit, neminem credere, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverare, nisi Deus illi donet ut credat, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseveret; & eos omnes, qui credunt, & in fide, quæ per di-

Simonnet Theol. Tom. I.

lectionem operatur, usque in finem perseverant, donante Deo credere, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseverare. Ergo universa Ecclesia, cum credat Deum ab æterno præcivisse, quinam credituri sint, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseveraturi, quinam vero non, credit Deum ab æterno præcivisse, quibus fidem, & in fide, quæ per dilectionem operatur, perseverantiam usque in finem donaturus sit, quibus vero non sit donaturus. Ergo Ecclesia universa credit Deum ab æterno secundum placitum voluntatis suæ alios prædestinasse, alios non; alios prædestinando elegisse, alios non; alios à massa perditionis discrevisse, alios non. Atqui quod credit universa Ecclesia, est dogma fidei. Ergo, &c. Hoc argumentum suggerit S. Augustinus lib. de bono persev. c. 23. verbis suprâ laudatis, eoque probat gratuitæ prædestinationis sententiam in Ecclesia semper fuisse dogma fidei, contra quod proinde nemo disputare potuit unquam, nisi errando: quia nempe Ecclesia semper oravit pro infidelibus ut crederent, & pro fidelibus ut perseverarent, & ita in Ecclesia semper exploratum fuit, fidem, & in fide, quæ per dilectionem operatur, perseverantiam usque in finem esse dona Dei, secundum divinæ voluntatis placitum aliis præparata, aliis vero non. Sed ad horum confirmationem,

Audiamus adhuc Celestinum in jam laudata ad Episcopos Galliarum epistola, ubi postquam decessorum suorum autoritate probavit, omnia pietatis opera, etiam initium fidei, & perseverantiam usque in finem esse dona Dei, id pergit ostendere c. 11. ex orationibus, quæ ex traditione Apostolica in universa Ecclesia funduntur in die Parasceves. *Obsecrationum quoque Sacerdotalium, inquit, sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo atque in omni Ecclesia Catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cum enim sanctorum plebium præfules mandata sibi legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, & tota secum congemisciente Ecclesia, postulant & precantur, ut infidelibus donec fides, ut, &c. Ubi in primis ponderanda sunt hæc verba, ut legem credendi lex statuat supplicandi, quibus expressè docet Celestinus, quid fide divina credendum, & semper creditum sit in Ecclesia circa Dei dona, certò colligi ex consuetudine precandi pro fidelibus & infidelibus in die Parasceves, in toto orbe Christiano recepta, & ab Apostolis tradita, atque ita ab ipso Apostolorum tempore celebrata. Unde cum in toto orbe Christiano præfules Ecclesiæ singulis annis ab ipso tempore Apostolorum petiverint à Deo in die Parasceves fidem pro infidelibus, pro fidelibus perseverantiam, fide divina credendum, & semper creditum est in Ecclesia, fidem & perseverantiam esse dona Dei, hoc est, neminem credere & perseverare, nisi donante Deo, & omnes, qui credunt & perseverant, donante Deo credere & perseverare; proindeque neminem credere & perseverare, cui Deus ab æterno non præparavit fidem & perseverantiam, & Deum ab æterno fidem & perseverantiam præparasse gratuito iis omnibus, qui credunt & perseverant. Hoc autem quid aliud est, quam fide divina credendam, & semper creditam esse in Ecclesia gratuitam illam prædestinationem, quam cum Augustino defendimus, & qua Deus ab æterno, quibus voluit, fidem & perseverantiam præparavit, & quibus noluit, non præparavit? Quod denique,*

Confirmare juvat ex Oratione Dominica, in qua per hæc verba, *Et ne nos inducas intemationem, sed libera nos à malo*, petitur à Deo perseverantia in bono usque in finem, ut rectè observat S. Augustinus lib. de bono persev. c. 6. *Jam vero, inquit, cum dicunt sancti: Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo: quid aliud, quam ut in sanctitate perseverent, precantur? Nam profecto concessio sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum, cum ab illo poscitur, satis aperte monstratur: isto igitur concessio sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo sanctorum est, qui*

H 4 non

non teneat usque in finem perseverantiam sanctitatis : neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Ex hoc autem argumentor sic. Tenentur fideles fide divina credere illud esse Dei donum, quod jubentur petere à Deo. Nam, ut dicit Celestinus, legem credendi lex statuit supplicandi.

Præterea, cum non possim aliquid serio à Deo petere, nisi credam illud donari à Deo, ab eoque obtineri posse; si teneor illud petere à Deo, debeo credere illud à Deo donari, & re ipsa mihi perenti donandum, humiliter confidere. Atqui fideles omnes jubentur petere à Deo perseverantiam sanctitatis, ut patet ex Oratione Dominica. Ergo fideles omnes tenentur credere perseverantiam sanctitatis magnum esse Dei donum, & ita omnes & solos illos perseverare in sanctitate, quibus Deus donat sanctitatis perseverantiam, sicque omnes & solos illos perseverare in sanctitate, quibus Deus ab æterno perseverantiam sanctitatis gratuitò preparavit; sive, ut cum S. Augustino loquar, quibus Deus ab æterno præcivit se donaturum perseverantiam sanctitatis. Hæc autem est gratuita illa prædestinatio, pro qua pugnamus. Ergo tenentur fideles omnes fide divina illam credere, explicitè scilicet, vel saltem, quod sufficit, implicitè, Ergo est dogma fidei nostræ.

Obj. 1. Si perseverantia esset donum Dei, penderet à solo divino beneplacito. Falsum conf. Ergo, &c. R. dist. seq. maj. Penderet à solo divino beneplacito, quantum ad ea, quæ perseverantiæ præsupponuntur, & ad eam conferunt, N. seq. maj. Nam perseverantiæ præsupponuntur, & ad eam conferunt multi actus salutares, & bonus gratiarum usus, qui non est à solo Deo, seu à sola Dei gratia, sed à gratia simul & à voluntate per gratiam preparata & adjuta, quomodo illi aptum est, ut velit & operetur bonum. Penderet à solo divino beneplacito quantum ad id, quod formaliter illam constituit, C. seq. maj. Nam perseverantia formaliter constituitur per vitæ exitum in statu gratiæ; ille enim omnis & solus perseverat usque in finem, qui in statu gratiæ moritur, sive à longo ante mortem tempore iustificatus fuerit, & Deo donante in iustitia constanter permanserit, sive tantum paulo antequam moreretur, justificationis gratiam consecutus fuerit. Vitæ autem exitus in statu gratiæ pender à solo beneplacito Dei, qui secundum consilium voluntatis suæ unicuique nostrum constituit vitæ terminum, & ita potest pro arbitrio iustum rapere antequam malitia mutet intellectum ejus, & peccatorem expectare, donec respiciat & convertatur; è contra verò iustum in vita relinquere, donec decipiatur & pereat, & peccatorem è medio tollere, antequam ad sanitatem redeat, & per salutarem penitentiam Deo reconcilietur. Quod sanè sufficit, ut perseverantia dicatur esse magnum Dei donum. Vide, inquit S. Augustinus lib. de bono persever. c. 17. à veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huius, quando voluerit ipse, det finem: quem si dat ante imminens lapsum, facit hominem perseverare usque in finem. Sed ad pleniorē hujus difficultatis solutionem,

R. 2. sic dist. seq. Perseverantia penderet à solo beneplacito divino; quantum ad præparationem & ordinationem mediorum, quibus Deus statuit illam procurare, C. seq. Quantum ad horum mediorum executionem & effectum, N. seq. Perseverantia igitur est donum Dei, quia Deus gratis eam procurat, quibus vult, in tempore per media, quæ gratis ordinavit & preparavit in æternitate: quamvis ad exequenda media illa utatur causis secundis, nec omnia effectum suum habeant sine libera ipsius perseverantis cooperatione. Sicut fides donum Dei est, idem dic de omnibus aliis operibus pietatis, non quia Deus solus in nobis operatur fidem, ita ut voluntas & intellectus credentis se habeant merè passivè, sed quia nemo credit ut oportet, nisi quem Deus ad credendum vocat, quomodo illi aptum est, non solum ut

possit, sed etiam ut libere velit credere; vocat, inquam, gratis vocatione, quam gratis præparavit in æternitate, & qua proinde cum vocat aliquem in tempore, rectè dicitur ei fidem donare: licet hæc vocatio gratuitò preparata in æternitate, & in tempore gratuitò concessa, effectum suum nec habeat, nec possit habere sine libera cooperatione illius, qui vocatur.

Dices. Esto quoddam perseverantia sit donum Dei, saltem ex dono perseverantiæ malè arguitur gratuita prædestinatio, quam defendimus, & ita ex eo quoddam Ecclesia credat perseverantiam esse donum Dei, malè infertur quoddam credat gratuitam illam prædestinationem. R. neg. Prob. Gratuita prædestinatio, quam defendimus, est eorum tantum, qui salvantur. At gratuita preparatio perseverantiæ, facta est non solum pro iis omnibus, qui salvantur, sed etiam pro multis alijs, qui damnantur: nam facta est pro omnibus iustificandis: omnes enim iusti accipiunt donum perseverantiæ, & illud habent, quandiu iusti sunt. Ergo gratuita perseverantiæ preparatio non est gratuita illa prædestinatio, quam defendimus. Ergo, &c. R. neg. min. Et dico donum perseverantiæ iis tantum esse præparatum, qui re ipsa perseverant, & perseverando salutem consequuntur. Ad prob. R. neg. & dico omnes quidem iustos, quandiu iusti sunt, habere perseverandi potestatem, quia cum Deus non prius iustum deferat, quam ab eo deferatur, iusto, quandiu iustus est, dat auxilium, quocum vitare potest totam collectionem mortalium toto vitæ decursu. At non idcirco dici possunt omnes habere donum perseverantiæ. Potestas enim perseverandi & donum perseverantiæ duo sunt. Nam potestas perseverandi est potestas vitandi omnia mortalia toto vitæ decursu; donum verò perseverantiæ est ipsamet perseverantia, seu ipsummet perseverasse usque in finem. Unde potestas perseverandi amitti potest, & amittitur per mortale quodlibet. At ipsa perseverantia, cum habetur, nec amittitur nec amitti potest unquam, quia non habetur, nisi cum perseveratum est usque in finem, & cum perseveratum est usque in finem, fieri non potest, ut non sit perseveratum usque in finem. Perseverantiam usque in finem, inquit S. Augustinus lib. de bono persever. c. 6. quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne forte cum perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest (hoc est, orationibus impetrari) sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest.

Præterea, potestas perseverandi habetur ante mortem: at verò donum perseverantiæ non accipitur nisi in ipso vitæ exitu, nec incipit possideri nisi ab ipso vitæ exitu. Nam cum de dono perseverantiæ loquimur, de illa perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem; quæ si data est, perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Denique cum iusti quotidie, ut tenentur, dicunt, Orationem Dominicam, recitando, Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, petunt, ut jam notatum est, perseverantiam, & tamen non petunt potestatem perseverandi, quæ carere non possunt, quandiu iusti sunt. Donum igitur perseverantiæ est aliquid distinctum & diversum à potestate perseverandi, quod non datur in tempore, & quod proinde non fuit præparatum in æternitate, nisi iis, qui re ipsa perseverant usque in finem, & sic perseverando salvantur. Valet igitur hoc argumentum, Ecclesia credit illos omnes & solos perseverare, quibus Deus donat perseverantiam in tempore. Ergo credit illos omnes & solos perseverare, quibus Deus gratis præparavit perseverantiam in æternitate; hæc enim pro uno & eodem habentur. Sed hoc est, credere gratuitam prædestinationem, quam defendimus. Ergo, &c.

Obj. 2. Facienti quod in se est ex viribus naturæ gratiam non denegari, docuerunt aliqui Doctores Catho-

Catholici. Ergo non est de fide, quod gratia detur in tempore, & preparata fuerit in aeternitate præcisè secundum placitum voluntatis divinæ; ita ut huic, & non illi, Deus det in tempore, & prepararit in æternitate auxilia congrua, & cum salute connexa, præcisè quia voluit. Ergo non est de fide, quod detur prædestinatio illa, quam defendimus. R. n. utramque conf. & dico hanc propositionem: Facienti quod in se est ex viribus naturæ non denegatur gratia, continere Semipelagianorum errorem, si ve loquatur de gratia habituali, si ve de actuali, si ve bonum quod fit ex viribus naturæ, dicatur se habere ad collationem gratiæ per modum meriti de condigno, aut saltem de congruo, si ve dicatur se habere tantum per modum dispositionis, aut etiam conditionis sine qua non, vel occasionis, vel removentis prohibens tantum. Quod facile ostenditur. Nam qui dicit, facienti quod in se est ex viribus naturæ non denegari gratiam, facit non voluntatem gratiæ, sed gratiam voluntatis pedilequam; docet enim in negotio salutis præire liberum arbitrium, & gratiam sublequi; labori & obedientiæ humanæ gratiam subungi; dari in nobis ex nobis initium aliquod, quo gratia prævenitur; Deum voluntates nostras expectare, &c. Quæ omnia ut fidei repugnantia in Pelagianis & Semipelagianis damnarunt Pontifices, Concilia, & Patres.

Præterea, qui dicit, facienti quod in se est ex viribus naturæ non denegari gratiam, manifestè repugnat 1. Apostolo dicenti Rom. c. 11. *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* 2. Augustino locis omnibus supra relatis. 3. Celestino in citata ad Gallos epist. dicenti c. 7. *Quod nemo nisi per gratiam libero bene utatur arbitrio; & c. 9. Quod ita Deus in cordibus hominum, atque in ipsi libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit (per gratiam scilicet) quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* 4. Concilio Arausicano II. damnanti, can. 4. cum qui, *ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit.* Et can. 6. cum qui, *sine gratia Dei conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, &c. nobis misericordiam dicit conferri.* Et can. 7. cum qui, *per naturæ vigorem bonum, aliquod, quod ad salutem pertinet, vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat.* Atque insuper ita docenti, can. 20. *Multa in homine bona sunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona (ad salutem scilicet aliquo modo conducentia) quæ non Deus præstat ut faciat homo.* Et can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum, in ordine scilicet ad salutem; hoc est, nemo in ordine ad salutem, absque auxilio gratiæ prævenientis & adjuvantis, quidquam potest, nisi peccando demereri.* Quibus verbis expressissimè damnatur hæc propositio, quam impugnamus. Quare qui eam tuerentur, cum Semipelagianis hæc in re lapsi esse dicendi sunt.

Obj. 3. Solum tenemur credere, Deum gratis dare in tempore, & ita gratis præparasse in æternitate hominibus, ex sincero salutis eorum desiderio, media ad salutem assequendam idonea. Ergo gratuita prædestinatio, quam defendimus, non est de fide. R. neg. ant. Nam tenemur credere perseverantiam esse donum Dei, ac proinde eos tantum perseverare, quibus Deus gratuito præparavit perseverantiam. At credere Deum certis tantum hominibus perseverantiam gratuitò præparasse, est credere gratuitam prædestinationem, quam cum Augustino defendimus. Præterea, cum Deus gratis der certis hominibus media cum salute connexa, potius quam alia ad salutem merè sufficientia; ceteris verò der tantum merè sufficientia & idonea ad salutem consequendam, cum posset dare efficaciam, & infallibiliter connexa cum affectione salutis; tenemur credere Deum certis hominibus, & non aliis, gratuito præparasse media efficaciam, & cum salute infallibiliter connexa, potius quam alia merè sufficientia & idonea. At hoc est credere gratuitam prædestinationem, quam defendimus,

& quæ nihil aliud est, quam præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.

ARTICULUS IV.

Utrum Deus prædefiniverit omnia pietatis opera prædestinatorum.

RESPONSIO.

Deus prædefinivit omnia pietatis opera prædestinatorum.

Prob. ex Apostolo Ephes. c. 2. ubi ait: Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus. In quæ verba sic loquitur 1. S. Augustinus lib. de præd. Sanct. c. 10. *Quod ait Apostolus: Non ex operibus, ne forte quis extollatur; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur: Quæ preparavit Deus, ut in illis ambulemus: prædestinatio est.* 2. S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 9. *Bona opera nostra Paulus à Domino asserit preparata, hoc est, in prædestinatione disposita.* 3. S. Thomas in verborum Apostoli Comment. *Nihil aliud est prædestinatio, quam preparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipsa bona opera nostra: dicitur autem Deus nobis aliqua preparare, in quantum disposuit se nobis daturum.* Ex his autem sic argumentor. Opera pietatis prædestinatorum fuisse à Deo prædefinita, nihil aliud est, quam ea determinatè & in particulari præordinata fuisse in mente divina, ut media, quibus in tempore dirigerentur prædestinati in salutem æternam. Atqui omnia pietatis opera prædestinatorum, & quidem determinatè & in particulari sumpta, fuerunt ab æterno præordinata in mente divina, ut media quibus prædestinati dirigerentur in tempore ad salutem æternam. Ergo. Major continet notionem prædefinitionis, ut hic à nobis sumitur. Minor verò patet ex autoritatibus allatis. Nam secundum Apostolum, Deus omnia pietatis opera prædestinatorum præparavit in æternitate, ut in illis ambulent in tempore. Secundum Augustinum, Deus ea prædestinavit. Secundum Fulgentium, Deus ea in prædestinatione sua disposuit. Secundum Doctorem Angelicum, Deus ea se daturum prædestinatis disposuit. Quid autem hæc omnia aliud significare possunt, quam Deum omnia pietatis opera prædestinatorum determinatè & in particulari præordinasse in mente sua, ut media, quibus in tempore dirigeret prædestinatos in finem vitæ æternæ?

Confirm. Prædestinatio est omnium, quibus in salutem æternam prædestinatus dirigeretur, mediorum determinatè & in particulari præordinatio in mente divina existens ab æterno. Atqui omnia pietatis opera prædestinatorum sunt à Deo prædestinata. Ergo sunt determinatè & in particulari præordinata ab æterno in mente divina, ut media salutis electorum. Ergo sunt prædefinita. Major patet ex dictis suo loco de quidditate prædestinationis. Minor etiam constat jam ex allatis supra autoritatibus; & adhuc breviter probatur ex S. Augustino lib. de bono persever. c. 17. ubi loquens de operibus salutaribus electorum, sic ait: *An forte nec ipsa dicunt prædestinata? ergo nec dantur à Deo... Quod si dantur... profecto prædestinavit.* Unde sic argumentor. Omnia Dei dona, ad salutem prædestinatorum conducentia, sunt à Deo prædestinata. Nam, ut dicit S. Augustinus, & post eum S. Thomas, prædestinatio est preparatio beneficiorum Dei, quibus electi liberantur & salvantur; & Deum prædestinasse, nihil aliud est, quam Deum præparasse beneficia, quæ confert electis in tempore, ut liberentur & salventur. Atqui omnia pietatis opera prædestinatorum sunt Dei dona, & ad eorum salutem conducunt. Ergo sunt à Deo prædestinata. Ergo sunt ab æterno in mente divina præordinata determinatè & in particulari. Ergo sunt prædefinita. Quod adhuc

Con-